



*D 14/28* EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
*I* VITEBERG.  
*C 209.* —  
SIGNAT. *c 15 CCCXIII.*



DEFENSIO  
VITAE MISSIONIS MIRACV  
LORVM ET EVANGE  
LIORVM  
B. D. MARTINI  
LVTHERI  
CONTRA  
FALSO HIS IMPVTATAS CALVMNIAS  
A  
GVIL. FRIDERICO DAMIANI  
SACERDOTE PETRINO

---

SVSCEPTA ET ABSOLVTA  
IN  
SOLIVS DEI TRINVNIUS  
HONOREM  
ADFLICTAE ECCLESIAE HVN  
GARICAE COMMODVM  
BONORVM QVORVMVIS SOLATIVM  
VERITATIS QVODAM  
AMANTE

---

A. R. S. M DCC LV



DE RE NSIO  
NATI MISERIAE MIRAC  
FORUM ET TAVANDE  
TIBURIA  
B.D. MARTINI  
LATHERRI  
GAE ERDERICUS DEDICAT  
ACERPOLE TIBURIA

SACRATA ET HISTORIA  
SOTIAC ET SOTIAC  
AD HONORATUM  
ADHOC TIBURIA HAN  
TIBURIA ET TIBURIA  
TIBURIA ET TIBURIA  
TIBURIA ET TIBURIA  
TIBURIA ET TIBURIA



Q. D. B. V

## PROOEMIVM

Magnus quondam Ecclesiae Carthaginensis Doctor et Episcopus Cyprianus, Pater, ut notum, Seculi III. recte adnotat omnino in Epist. LV. p. 105. edit. Brem. *esse hoc perpetuum opus diaboli, ut seruos Dei mendacio laceret et opinionibus falsis gloriosum nomen insamet, ut, qui conscientiae fusa luce clarescant, alienis rumoribus sedidentur.* Possem id ego exemplis multorum virorum de Ecclesia Christi meritorum optime, pluribus quoque comprobare, sed sufficiat nobis haec tenus uel unius Martini Lutheri uita, quae, quam turpiter toties iam a Cacodaemonis istius discipulis fuerit descripta, non sunt singuli, quotquot acta eiusmodi de b. Luthero nostro, ex contemptu eius, ab aliis elaborata litterisque consignata, uel legerunt iam, uel legere adhuc, non absque tristi animi dolore, debent. Prodiit, sub

A 2

finem

#### 4 DEFENSIO VITAE MISSIONIS ETC

finem anni quoque superioris Posonii Hungariae metropoli, libellus, molis quidem exiguae, sed caluminiarum in b. Lutherum nostrum plenissimus, editus a Guilielmo Friderico Damiani, Sacerdote Petrino, cui ille hunc titulum dedit, *Synopsis uitae, missionis, miraculorum et Euangeliorum Martini Lutheri et Ioannis Caluini, quinque tantum confitans capitibus.* Fateor, ubi eum prima uice legisse, refutandi animum mihi non fuisse; cum scirem, dudum ea iam ab aliis Ecclesiae nostrae uiris doctissimis in uastis eorum uoluminibus confutata esse, quae Sacerdos iste Petrinus, citra omnem plane ueritatis speciem, in b. Lutheri nostri manes, euomit ac effutit. Tandem illum resumsi, ubi cogitassem, plurimos et inter eos quoque, qui religioni nostrae addicti sunt, fide imbecilli praeditos esse, quos extimescebam ideo, falsis istis relationibus Auctoris nostri assensum suum praebituros: illud etiam ad propositum continuandum, non leue admodum pondus mihi addidit et stimulum, quando expensissem, ubi et inter quos, libellus iste, editus sit? Si id in florentissimo Germaniae regno ac Imperio contigisset, non tantopere curasssem omnino. Sed miserebat me Hungariae in primis et huius afflictissimi coetus Euangelici, cuius onus propterea et conuitia, quae ob dignissimum praestantissimumque Lutheri nomen perferre cogitur, meum onus ac conuictum esse putabam, esse etiam uolui. Dominus eius necessitatibus succurrere uelit ipse, quod ei ex animo opto atque cupio! A defensione Caluini sponte supersedi; quod id genus

genus officii in me suscipere haec uice, plane non potuerim, sed nec uoluerim quoque. Solum autem Martinum Lutherum nostrum defendeo; quod ipsum, maiori etiam iure, facere potui. Labores ac molestias, quas in elaborando isto opusculo, defensionem manium b. Lutheri nostri continent, subire debui, silentio praetereo. Scient id omnes, quotquot in eiusmodi labore desudarunt unquam; ipsa etiam huius lectio, pluribus de eo, pium ac beneuolum Lectorem, instruct et commonefaciet. Potius me ad opus ipsum conferam, semper prius in hoc, uerba Auctoris praemissurus; tum demum et mea his subiecturus, piis manes b. Lutheri nostri contra falso ei imputatas calumnias, vindicantia. Faxit Numen immortale, ut felicem illud exitum habere possit!

## VERBA AVCTORIS

**M**artinus Lutherus antea cognominatus Luder, nostri temporis Haeresiarcha in Mœr circa Islebiam in Saxonia parentibus orthodoxis, sed rusticis, Ioanne Luder fossore montium et Margarita Lindemannin Ancilla balneorum Anno 1483 die 10 Nou. in uigilia D. Martini Episcopi natus. Ita Lutherus ipse in parte testatur Tom. 2. Latinor. colloq. Mensal. p. 18. et alibi his uerbis: *Ego sum rustici filius de Mœr circa Islebiam: ego natus ex pauperibus parentibus, pater pauper fuit, fossor montium, mater omnia ligna ad rem domesticam necessaria in dorso importauit.* Pro-

## 6 DEFENSIO VITAE MISSIONIS ETC

*auus, auus, Pater meus fuerunt natura rustici.* ue-  
rum famigerata opinio est Ioannis Cochlaci apud  
VVeislingerum in Libro, qui inscribitur Paſcere  
uolueris aut morere part 2. p. 35 et Alberti Ele-  
ctoris Moguntini apud Lanbenbergium in suo  
Romano Beelzebub p. 17. aliorumque, Martinum  
Lutherum fuisse puerum supposititium, quem  
Germani lingua patria *Wechſelbalg* nominant,  
ex Margarita matre et Diabolo patre progenitum,  
cui opinioni Lutherus, alias in ulciscendis iniu-  
riis sat praeceps, nunquam reclamare ausus est.  
Exstat et alia opinio Laudati Praedicantis Lau-  
benbergii, qui p. 13. sic scribit, *Exploratum est,*  
*Lutheri parentes, Anno 1483. circa Festa Pentecostalis*  
*ad Ecclesiam pro copulatione iuiffe, Lutherum autem*  
*in uitam uenisse ueste ante festum Martini, quod*  
*uix hebdomades 23. conficit, ex quo Lutheri Mater,*  
*uterum gerebat.* Sequitur ergo, Lutherum, si non  
supposititium, saltem nothum, puerum fuisse.  
uid. p. 3. 4. 5.

## DEFENSIO LVTHERI

§. I. Martinus Lutherus, uero cognomine,  
Lutherus, non Luder, sicut semper antea dictus;  
ita nunc et in perpetuum dicendus est. Isto quippe  
eum cognomine gauisum fuisse semper, auctor  
est ex nostris Matthesius Serm. I. de Luth. p. 1. 5.  
ex Pontificiis ipsis, praeter alios plurimos, quo-  
rum uerba mox audiamus, Polydorus Vergilius  
L. VIII de rerum inuentoribus cap. IV. p. m. 470.  
sic scribens: *Tum VVittenbergae in oppido Saxoniae*  
*celebri*

celebri praefato fuit quidam Martinus, cognomento  
Lutherus, Augustinianus Monachus, homo in Theo-  
logia, apud suam gentem primarius.

§. II. Falso afferitur, Lutherum haeresiarum  
fuisse uel nunc etiam eum pro tali haben-  
dum. Senfu quidem Pontificio haeresiarcha dici  
posset, quos scimus, eos omnes pro haereticis uel  
haeresiarchis habere et agnoscere, qui traditionibus  
humanis ualere iussis, uerbum DEI scriptum, in fi-  
dei articulis, uelut unicum normam sequuntur, et in  
solo Christo, omne iustitiae ac salutis suae perfugium,  
unice quaerunt, prout recte afferit b. Gerhardus in  
Confess. Cathol. L. II. Art. V. cap. I. f. 713. 6.  
Proprie haereticus is est, qui temporalis alicuius com-  
modi, et maxime gloriae principatusque sui gratia,  
falsas ac nouas opiniones (articulis fidei fundamen-  
talibus contrarias) uel gignit uel sequitur. Ita Ius  
Canonicum cauſ. XXIV. quaest. III. cap. 28.  
conf. Schmidius Helmstad. in Lexico Ecclesiastico  
min. p. 37. Basilius Fabri in Lex f. m. 1014. et  
Gerhard. l. c. L. II. Art. V. cap. I. fol. 713. 6.  
*Haeresiarcha* uero is, qui dogma quodpiam Eccle-  
siae Catholicae contrarium primum excogitauit, uid.  
Tertull. l. de praescript. cap. 37. apud Schmidiu-  
m l. c. Vtraque haec definitio in b. Lutherum  
cadere nequit, cum constet ex libris eius, praeci-  
pue Catechesi eius utraque minore et maiore,  
ipsum talia docuisse, quae articulis fidei funda-  
mentalibus aut Ecclesiae Catholicae, nequaquam  
contrariantur, unde et ipse negat tom. I. Ienens.  
Lat. fol. II. b. se talia docuisse aut dixisse, quae non  
sunt Ecclesiae Catholicae et Ecclesiasticis Doctoribus  
consen-

### 3. DEFENSIO VITÆ MISSIONIS ETC

*consentanea.* Certe uel ipsi Pontificiorum Scriptores id agnouere, titulum haeretici uel haeretiarchae, absque caussa fuisse nostro tributum. Polydorus Vergilius l. c. sic scribit, *is (Lutherus) continuo, ut deorum contemtor accusatus citatur, caussa agitur, sed quia ad diem dictum non ad fuit, paullo post declaratur haereticus etc.* Erasmus pariter in Epist. quadam ad Fridericum Elect. Sax. quam non congruit, inquit, mansuetudini Theologicae, protinus ac ne quidem perlepto libro tam immaniter debachari in nomen ac famam uiri probi, id que apud imperitam plebeculam, quae prorsus caret iudicio, praesertim cum ille disputando proposuerit, cum omnium iudicio se submiserit, quorum non oportuit. Nemo monuit, nemo docuit, nemo reiecit. Tantum uociferantur haereticum, seditiosis clamoribus ad lapides provocant etc. conf. Gerh. l. c. L. I. P. I. Cap. VI. f. 59. a. Paucis, Bellarminus L. III. de Ecelef. cap. IV. resp. uetat haereticum dicere illum, qui se per obstinationem et pertinaciam, ut ipse loquitur, ab Ecclesia non separat. Omnes autem boni intelligunt, quam nulla ratione caussa in Lutherum deuolui possit separationis eius ab Ecclesia. Non enim ipse se ab hac separauit, sed a Papa separatus potius ac excommunicatus est, quemadmodum pluribus id infra ad §. X. confirmabimns. Hoc minus igitur haereticus uel haeresiarcha dici potest.

§. III. Parentes Lutheri non fuisse rusticos natura, docent nos sequentia. Quantum i., ad Patrem eius, uerum quidem est, eum fossorem montium siue rectius loquendo, operarium metalli-

tallicum fuisse tum adhuc, cum habitasset in pago  
 Möer, Matthes. Serm. I. p. 5. at, postquam in op-  
 pidum Mansfeld peruenisset, non iam fossor am-  
 plius aut operarius metallicus fuit, sed *et Magi-*  
*stratus ibi gesit, et propter integratatem omnibus*  
*bonis carissimus fuit*, uerba sunt Philippi Me-  
 lanchtonis de uita et actis Luth. p. 2. add. Matth.  
 I. c. p. 6. unde et a VVierio, homine Pontificio  
 patricius constituitur, in L. de praestigiis daemo-  
 num L. III. cap. XXIII. p. 340. 2, Matrem eius  
 quoque honesta ac ueteri familia fuisse natam, te-  
 statur Melanchton, dum inquit I. c. *in eam autem*  
*urbem (Isennacum nempe) missus est (Lutherus)*  
*quod mater in iis locis honesta et ueteri familia nata*  
*fuerat.* Vtrum ancilla balneorum fuerit, id qui-  
 dem testimonio uero ac genuino probari nequit  
 confer interea si placet, Sleidanum L. XVI. p. 489.  
 pluribus ista refutantem. Obseruet lector, Au-  
 torum uerba Lutheri ex colloq. et meditat eius  
 part II. p. 18. mala fide allegasse, quippe ocul-  
 laris eorum inspectio me edocuit, haec saltem ibi  
 legi ac inueniri; *Ego natus ex pauperibus. Pater*  
*pauper fuit, fossor montium, mater omnia ligna, ad*  
*rem domesticam necessaria in dorso importauit, ut*  
*eo melius filios educarent, duros perpetuas sunt labores.*  
 Caetera, quae auctor adducit, ibi non leguntur,  
 suntque pro interpolatis merito habenda. Hoc  
 ideo beneuolum Lectorem scire uolui, ut is intelli-  
 gat, nihil continere uerba Lutheri, quod contra-  
 rum forte esset, supra a me assertis. Deinde ut  
 istud potuisset esse documento, quam auctor no-  
 ster, sicut in uerbis istis Lutheri allegandis, ita

## 10 DEFENIO VITAE MISSIONIS ETC

in multis aliis non satis fidum se exhibeat histori-  
cum, cum religioni sibi non ducat, uerba ab aliis  
prolata uel adnotata, interpolare, faltem non  
multum curauit auctor inspicere uerba aliorum,  
utrum ea se reuera ita habeant, quemadmodum  
a suis, ipsi quoad omnia simillimis, in medium  
prolata fuere.

§. IV. Id uero omni specie ueri caret et in  
manes b. nostri Lutheri plane iniurium est, quod  
auctor aliorum confusus testimonii ac falsis op-  
tionibus, afferit, quasi Lutherus puer fuisse sup-  
positius, immo, quod horrendum! ex Margarita  
matre et Diabolo patre progenitus. Talia  
enim afferendo auctor I, merito prodit suam in-  
scitiam et petulantiam, supra enim admisit, Lu-  
therum parentibus orthodoxis quidem, sed rusti-  
cis, Ioanne Luder et Margarita Lindemannin,  
natum fuisse, quod ipsum nunc negat. II, Luthe-  
rum e genuinis reuera parentibus, non accidente  
opera Diaboli, esse in lucem editum, probant  
scriptores  $\alpha$ ) nostrates non modo, coaeui tamen  
v. 9. Philippus Melanchton de uita et actis Luth.  
p. 2. M. Michael Coelius in orat. funebr. habita  
Islebiae d. 19. Febr. An. 1546. Matthesius Serm.  
I. p. 1.5. b) Sleidanus L. XVI. p. 489. sed et  $\beta$ )  
ipsi illi, qui Pontificiorum castra olim non abs-  
que zelo sequebantur. Horum duos hac uice ad-  
ducemus, Ioannem VVierium alterum, Illustriss.  
quondam Clivorum Ducis Archiatrum, alterum  
Ludouicum Mainburgium S. I. suis, quantus fue-  
rit! optime notum. Priori illi, non sufficiebat  
S. Fontainum Episcopum, afferentem, Lutheri  
matrem

matrem ex coitu Diaboli concepisse, refutasse, in  
L. de praestigiis daemonum L. III. cap. XXIII.  
p. 338. sed et paucis interiectis, haec egregia pro-  
tulit uerba; *Lutheri projecto doctrinam alitis ueri-  
tatis machinis, impugnare et conuellere oporteret,*  
*non eiusmodi figmentis, alioqui vulgus intelliget.* Si-  
quidem crassum nimis hoc commentum est, de tali  
daemonis concubitu, quum ex descriptae eius uita omni-  
bus constet, natum fuisse An. 1483. d. 10. Nouembr. no-  
ete post horam undecimam, Islebiae sub Imperio Co-  
mitum Mansfeldensium, ex patre minime obscuro,  
Ioanne Lutheru, uiro patricio, et butius pudica coniu-  
ge Margarita matre, atque Martini nomen ei impo-  
situm, quod dies proximus, quo per baptismum Eccle-  
siae initiatetur infans, Martino sacer esset. l. c. p.  
340. Posterior iste, eum in modum, de natalibus  
b. Lutheri scribit, natus erat (Lutherus) Islebiae,  
quod Comitatus Mansfeldensis oppidum est An. 1483.  
non quidem ex incubo, ut quidam ad argendum ei  
odium, sine specie ueri scripserunt, sed ut homines  
alii nasci solent, neque de hoc unquam fuit dubita-  
tum, neque postquam baeresarcha factus est. Ac ut  
tal is fieret, opus non erat in locum Ioannis Luderipar-  
tris diabolum substituere et Margaritae Lindeman-  
nae matris honorem, infamia talis geniturae contami-  
nare. uid. eius Hist. Luth. L. I. Sect. VIII. apud Se-  
ckendorf. f. 17. Quam optassem, legisset haec  
maiore cum attentione auctor noster! III. Si  
Lutheri mater cum daemone rem habuit, ex quo et  
filium suscepit, aut clam fuit habitum, aut palam re-  
scitum. Si clam habitum fuit, quis Cacodacimon,  
quaeso, Iesuitis (Damianio ego, et, ad quos ille se  
prouo-

## 12 DEFENSIO VITAE MISSIONIS ETC

prouocat, recte dixerim :) factum hoc aperuit? Si publice rescitum, cur non illud Satanae scortum in ius vocatum et pro merito punitum fuit? iure quaerit b. Fridericus Balduinus, VVittembergensium illud immortale decus, in Phosphoro ueri Catholiciſmi, Cardinali Pazmannio Hung. opposito L. III. p. 244. ubi porro disputans, sermonem prosequitur; Sed elo, magistratus pariter et Lutherus, hoc in genere improbe fecerint, quid uero Sacerdotes uestri illo tempore? fatetur Pazmannus: (dico ego Damianum quoque id fateri) Lutiberum, nomen Martini, in baptismo sortitum, num ergo ephialten et nativam Diaboli sobolem sacro baptismatis lauacro tinxerunt et sancti uiri nomine dignati sunt? Quid Abbates, quid Doctores uestri in Scholis et Coenobiis? Lutherus Monachus Augustinianus fuit, in Magistrum et Doctorem promotus, professioni publicae exhibitus, numquid ergo homines uestri ephialten Diaboli filium, his honoribus maectare solent? uel num Diaboli foetus se Christianorum sacris et scholarum censuris ac periculis submitteret et stadium illud tandem tantisque cum fudoribus percurreret? Quis unquam simile quid de ullo ephialte audiuit? l. c. p. 245. Si haec bonus Damiani apud animum expendisset, credo, non eum scripturum fuisse de natalitiis Lutheri his contraria, nec ita facile assensum suum praebuisset scriptoribus illis nugacissimis, quorum interea testimoniis se suffulcit. IV.) Idem Baldinus l. c. p. 243. et 244. pluribus comprobatum dedit, Pontificiorum scriptores in describendis Lutheri natalibus, sibi ipsis non constare; ita, ut praef. incertitudine, unus hanc, alter illam, amplecta-

pleteatur credendam ac defendendam, falsam licet  
ac erroneam, sententiam et opinionem, a scripto-  
re quodam, sublestae fidei, orbi litterato, com-  
municatam. Quid mirum igitur, si et apud nos,  
duorum istorum Cochlaei et Alberti Electoris  
Moguntini famigeratae illae (ut auctor loquitur)  
opiniones, locum inuenire possint nullum? Ac  
Cochlaeus ipse, haud quidem scimus, quomodo  
conciliari possit, cum iis, quae in actis Luth. p. I.  
de nostro scripsit: *Lutherus natus Islebii A.D. 1483.*  
*in Saxonia sub Comitibus a Mansfeldia, parentes ha-*  
*buit plebeios ex familia Luderorum, parentem Ian-*  
*nem, matrem Margaritam, etc.* In his enim con-  
cedit, Lutherum α) natum esse, β) et natum qui-  
dem esse eum, ex parentibus legitimis. Tandem  
V.) cogitare debuisset auctor, nondum certo con-  
stare, incubos aut succubos dari, quod item disce-  
ptetur huic adhuc, quenquam posse nasci abs-  
que semine humano. Negatiuam sententiam  
tuentur α) ex Patribus, Chrysostomus Hom. III.  
et XXII. in Genes, Philastrius Brixensis in cap.  
108. Cassianus L. 12. collat. cap. 8. β) ex Ponti-  
ficiis Prateolus l. 10. Haer. cap. 15. Vallesius in  
Sacra Philos. cap. 8. Broideus; Remigius, Carda-  
nus, quin immo Conimbricenses ipsi L. I. de ge-  
ner. et cor. cap. IV. quaest. 10. art. III. et Caieta-  
nus Cardinalis in Comment. super part. II. Sum.  
Thom. art. III. qu. 95. uid. Gerhard. l.c. f. 326.  
Clodius in diff. de Angelo in assumto corp.  
§. VIII. cap. III.

¶. V. Contradixisse Lutherum, uel, ut au-  
tor addit, reclamasse opinioni huic, quasi is ex  
Marga-

## 14 DEFENSIO VITAE MISSIONIS ETC

Margarita matre et Diabolo patre natus esset, testatur I.) Cochlacus in Sympos. cap. 28. et in praef. uitae Lutheri, quando commemorat Lutherum, cum id sibi ab aliis obiectum esset, nil aliud respondisse, quam, *quod fieri non possit, ut ipse sit et mulieris filius et ex incubo procreatus.* Satis accurate ad rem ! uid. quoque Colloq. Luth. mens. cap. 24. In specie II.) contradixisse illum et deprecatum fuisse titulum Wechselbalg, ostendunt uerba eius Tom. VIII. Ienens. Germ. f. 98. in quibus ille se munit aduersus calumnias aduersariorum suorum, exemplo Christi, Prophetarum aliorumque piorum, qui eadem quoque facta experti sunt. Sic enim I. c. inquit; Wann der Teuffel der Lehre nichts kan anhaben, so leget er sich wider die Person, leugnet, schweret, fluehet und tobet wider dieselbige. Gleichwie der Papisten Beelzebub mir thut, da er meinem Evangelio nicht konte widerstehen, schrieb er, ich hättte den Teuffel, wäre ein Wechselbalg, meine liebe Mutter eine Hure und Bademagt, fluchs da er das hatte geschrieben, ward mein Evangelium zu nichts, und hatten die Papisten gewonnen. Also musste Johannes der Täuffer und Christus selber den Teuffel haben und Samariter heissen, fluchs darauf ward Johannes und Christi Ehre unrecht und der Pharisäer recht. So ist es allen Propheten gegangen !

§. VI. In sufficiens igitur esse testimonium Laubenbergii, constat ex (§. IV.) ubi euicimus ex ipsis Pontificiorum scriptorum testimentiis, Lutherum non fuisse puerum supposititium, parentes

rentes eum genuinos habuisse, qui itaque nothus esse potuit? Verum id esset utique, si computus mensium et hebdomadarum, quem Laubenbergius iste init, firmo staret talo. Sed cum non possit demonstrari, Lutheri parentes certo in feriis Pentecostalibus fuisse copulatos; inde Laubenbergii testimonium eadem facilitate a nobis reiici potest, qua illud ab auctore fuit adlatum.

### VERBA AVCTORIS

Ad ecclesiam deductus, ut sacro inauguraretur Baptismate uix nou excidit e manibus Sacerdotis, dum autem aqua salutis ablueretur, sub actuali ablutione, coepit Luder petita emittere, ut circumstantes non parum territi, nil inde boni ominabantur (pro ominarentur) p. 5.

### DEFENSIO LUTHERI

§. VII. Quae hic auctor cumulat, eorum singula falsitatem redolent. Coaeui certe scriptores de ipsis silent, nec ullam faciunt mentionem, Lutherum, intra aetum baptismatis, uel pedita (uenia id beneuoli Lectoris dixerim) emisisse, uel ex manibus Sacerdotis excidere uoluisse. Iure miramur, unde talia auctor traxerit? A suscepitoribus Lutheri ea ipsum habere non potuisse, cuilibet in proposito est; cum illi et, qui fuerint, ignoretur; et utrum cuiquam de eiusmodi actibus infantis Lutheri quidquam dixerint uel reueauerint? dubitetur huic. Coaeuos, si adimus scriptores, nihil quidquam de ipsis commemorant.

16 DEFENSIO VITAE MISSIONIS ETC

morant. Audiamus Marthesium dicentem, in  
S. Peters Kirchen im Nahmen der heiligen Drey-  
faltigkeit Christlich getauft und Martinus genen-  
net ist. Serm. I. p. 2. 5. Audiamus Coelium in  
orat. funebr. Islebiae hab. sic de hac re scriben-  
tem: das weiß diese Stadt Eisleben und das  
ganze Mansfeldische Land, daß er von ehrlichen,  
frommen Eltern alhie zu Eisleben ehelich geboh-  
ren, und als ein Christ getauft worden. Apud  
utrumque istorum nihil quidquam, de actibus  
istis, relatum legimus. Relinquitur ergo, haec  
ab auctore ipso, excogitata esse. Bonos adstan-  
tes miraremur, (si nimirum ea, quae auctor de  
istis refert, recte se haberent) quid inde mali omni-  
nari potuissent, si reuera quoque noster pedita  
emisisset intra actum baptismatis. Nonne id ex  
caussis naturalibus infanti, ut homini confide-  
rato, euensis? Nonne idem quoque Constantino  
Copronymo accidisse relatum legimus, quem  
tamen, non obstante improviso casu isto, scimus  
et Imperatorem egisse, et multa quoque egregia  
signa suae uirtutis edidisse, licet et quandoque ma-  
lis quibusdam obnoxius esset?

VERBA AVCTORIS

Lutherus exactis primis adolescentia annis,  
mutatoque cognomine Luder, quod in lingua  
Teutonica scurram seu ganeonem significat, et  
assumo cognomine Luther, quod eadem lingua  
purum sonat, in Magdeburgensi et Isenacensi  
collegiis prima humaniorum studiorum fundamen-  
ta iecit. p. 5.

DEFEN-

## DEFENSIO LVTHERI

§. VIII. Refutantur haec per (§. 1.) quippe in qua ostendimus ex testimoniis fide dignorum scriptorum, nostrum, uero cognomine Lutherum non Luderum fuisse nominatum, qui igitur potuit is cognomen Luder in Luther mutasse aut tale assumisse? Quid si assumisset uel mutasset etiam? Num propterea reprehensionem quādām meruisset? Atqui in historiis legimus, innumeros plane uel ex ipsis Pontificiis simile quid tentasse? Cogitetur Lector, Cochleum ipsum, ad quem se toties prouocat auctor noster, et iste enim uero cognomine Dobeneck uel etiam Wendelstein (quod cochlidem significat) a patria ipsi tributo, mutato; Cochlaeum se dici ac nominari uoluit? uid. Salig. in Hist. A. C. eiusdemque Apol. Germ. edit. L. II. cap. V. §. VI. p. 231. Ut taceam Pontifices Romanos ipsos, quorum Szegedinus Hung. in Speculo Rom. Pontif. p. 33. copiosum adfert numerum, qui mutarunt nomina sua, postea quam ad sedem Petri promoti fuere. Ita Sergius II. dictus antea, os porci, est; Hadrianus IV. Nicolaus Breckspeare; Pius II. Picol homineus; Eugenius IV. Condelinerius etc. Si his uitio id uerti nequit, cur in nostro id non tolerant homines Pontificii?

## VERBA AVCTORIS

Dum autem VVittembergae adhuc qua (satis barbare) Lector doceret, frequenter noctu uagabatur sub praetextu repertendi lectiones cum

B

Spala-

## 18 DEFENSIO VITAE MISSIONIS ETC

Spalatino; praesertim apud uiduam quandam, quae satis formosam habebat filiam, uisebatur, de qua saepe non sine suspiciis Spalatino dicebat, *O Spalatine, O Spalatine! tu credere nequiss, quantum me haec speciosa puella in amore et deliciis habet, concedere in fata nolo donec tanta concitem, ut ego quoque puellam tam uenustam ducere queam.* Ast uidua mater ut aduertit, quod hic Philosophiae Magistellus nimis profunde philosophari incipiat cum filia ei domum interdixit, probabiliter quia facere non poterat aliquos Syllogismos in Dari, p. 7.

## DEFENSIO LVTHERI

§. IX. Falsum est, Lutherum, dum adhuc doctorem ageret, noctu saepe (ut Au<sup>r</sup>tor afferit) hinc inde oberrasse, in primis frequenter conuexisse eum puellam formosam uiduae cuiusdam, de hoc enim I) nihil quidquam legitur apud Scriptores, ea aetate uiuentes, nec unquam id ei, in cuius adhuc existenti, obiectum a quoquam fuit. Hoc minus ergo, fidem, apud beneuolum Lectorum, narratio ista, habere debet. II) Fecisset talia Lutherus ex impuro quodam amore erga sexum sequiorem, uagis libidinis eo allectus. Sed sunt scriptores fide dignissimi, qui perhibent, Lutherum non modo minnia Lectoris fideliter obiisse, sed et longe remotum fuisse, toto uitae sua tempore, ab omnibus vagis libidinibus, ita ut Philippus Melanchton confidenter asseueret in oratione funebris, p. 97. edit. Hofmann. *nullas unquam in eo uagis libidines animaduersas a quoquam esse contractas.*

tract. eiusd. de uita et actis Luth. p. 7. Certe III.) quam alienus fuerit a matrimonio ineundo Lutherus, adeoque ab amore impuro ac illicito erga sexam sequiorem, docent nos eius uerba ad Argulam, nobilem foeminam, suadentem ei ut uxorem ducat : *Non miror, talia de me garris, cum garriantur et multa alia, uerum TV ei gratias age nomine meo, et dicio, me esse quidem in manu Domini, sicut creaturam, cuius cor mutare et remutare, occidere et uinificare potest singulis momentis et horis; hoc tamen corde, quo hac tenus fui, et modo sum, non fiet, uxorem ut ducam; non quod carnem meam, aut sexum non sentiam, cum neque lignum, neque lapis sim, sed animus alienus est a coniugio, cum expectem mortem etc.* uid. L. II. Epist. Luth. p. 244. 245. Accedit IV) quod id nostro factu fuerit plane impossibile, ut toties se absentare potuisset a consortio fratrum suorum, quippe qui diligentem eius habebant curam, nec tam in nostrum caussa, quam in hos confratres suos, quinimmo uicarium ipsum, si id ei concessisset, devolui iure deberet. Caeterum V) utrum genuina sint uerba Lutheri, quae Auctor asserit, eum dixisse ad Spalatinum, cum nullibi in scriptis eius repererim, dubito, et id quidem facere, iure optimo, cum bonis quibusque possum.

## VERBA AVCTORIS

Anno 1517. die 31. Octobr. Lutherus no-  
uae Sectae, quam dudum meditabatur, Auctor fa-  
ctus, Theses 95. contra Indulgentias VVitteber-  
gae disputandas exposuit, et ad ualunas Ecclesiae

20 DEFENSIO VITAE MISSIONIS ETC

Electoralis publice affixit, quibus Ioannes Terzelius, ex Inclita Dominicanorum familia uir doctus Francofurti ad Viadrum 106. Antitheses opposuit, Lutherum Hereticum (male, haereticum scribere debuisse Auctor) appellans p. 7. 8.

DEFENSIO LVTHERI

¶. X. Auctor hic dicit quidem Lutherum nouae Sectae Auctorem factum, sed non probat. Nos, quid de isto sentiendam sit, breuiter indicabimus. Lutherus noster, nunquam certe ea intentione animum ad reformatam Ecclesiam Romanam applicuit, ut, successu temporis, se ab hac sponte separare, peculiarem item Sectam constitueret ac fundare potuisset. uid. Comment. eius in Genef. f. 341. a) et f. 603. b) et Epist. ad Spalat. apud Melchiorem Adami in uita Luth. p. 76. b) add. Frantzius in Disp. Iubil. de Indulgent. ¶. 19. p. 28. Sed tota haec res sic se habet, unde intelligere possunt cordatores, quam inique caussam separationis Lutheri ab Ecclesia Romana (Catholicam enim professus semper est, et nunc profiterur eam adhuc in Discipulis suis) Aduersarii nostri, et cum iis Auctor noster, in Lutherum deuoluant, cum in eos potius deuoluenda sit, praeceps autem in Pontifices Romanos, quemadmodum id, hac uice, demonstrare conabimur. Anno Domini 1517. fuit quidam Monachus Dominicanus, Terzelius nomine, uir, non doctus, ut Auctor perhibet, sed rudis admodum et stupidus, qui et, propter perpetratum adulterium, Osnabrugae ad mandatum Maximiliiani

liani Imperatoris, aquis, sacco reconditus, mer-  
gendus erat, liber tamen ab hac poena pronun-  
ciatus, ad peritum Friderici Electoris Saxoniae.  
Matthes. Serm. I. p. 24. 25. Hic, facultate sibi da-  
ta ab Alberto Archi-Episcopo Moguntino, con-  
sentiente item Leone X. Papa Rom. tum plane in  
aedificanda Basilica Petri, a Iulio adhuc II. P. R.  
aedificari coeptra, occupato, peragrauit uarias  
urbes ac oppida in Saxonia, ueniam remissionis  
peccatorum omnibus iis pollicitus, qui modo  
hanc sufficienti pecunia redimere perquam uel-  
lent. Veniens Iurrebogam, tantum non omnes  
Lutheri auditores post se traxit. Tum Luthe-  
rus continuo ad Albertum Archi-Episcopum Mo-  
gunt, et alios quatuor Episcopos, litteras dat, ro-  
gans eos in his, audaciam hominis compescerent.  
Sed tantum abeit, ut illi hunc responso dignauer-  
int; ut ansam potius et occasionein praebuerint  
aliis, contra nostrum scribendi. Integrum si.  
quidem agmen hostium aduersus hunc consurre-  
xit, quos inter primas quasi tenebant Conradus  
VVimpina, Syluester Prierias Italus, Gabriel Ve-  
netus, Latomus, Catharinus, alii, adeo sacrarum  
litterarum expertes ac illiterati, ut horum Italus  
ille, Syluester Prierias, ne epitome quidem aut epit-  
oma scierit, cuiusnam esset generis. Etsi enim  
utraque haec uox generis foeminini sit; Prierias  
tamen, contra omnes, omnium Grammaticorum  
regulas, eam pro neutro habuit. Vnde false hoc  
nomine uidetur a nostro in Epist. quadam ad  
Spalat. d. 15. Decemb. An. 1518. exarata: *mitto*  
*Sylvestrinam epitomen, quam ipse Epitoma vocat, in*

22 DEFENSIO VITAE MISSIONIS ETC

libro scilicet, cui ille hunc titulum dedit, de iuridica et irrefragabili ueritate Romanae Ecclesiae, Romanique Pontificis, liber tertius, index quidem longissimus, sed breuissimum epitoma) *homo Graeco-barbarus et latino-coquus.* uid. Tom. I. Ie-  
nen. Lat. f. 63.2) Nec Leo X. P. R. officio suo de-  
fuit, quin statim nostrum, non exauditum nec  
conuictum, Bulla quadam, ut haereticum damnat,  
et a gremio Ecclesiae separat et excludit, Anno,  
nimirum 1520. et 1521. 28. Mart. Viridium  
die. Erasmus in Axiomatibus suis, pro causa Lu-  
theri, de hoc facto Pontificis Rom. sic iudicat,  
*Bulliae, inquiens, saeuitia probos omnes offendit, ut*  
*indigna mississimo Christi uicario!* Au<sup>t</sup>tores, qui  
haec uberioris, quae nos in compendio adduximus,  
referunt, et a partibus nostris stant, ex a) nostris,  
sunt, Melanchton l. c. p. 9. Matthesius Serm. II.  
p. 32. 33. Spalatinus in der Lebens-Beschreib. der  
Röm. Päpst. ex edit. Cypr. p. 13. Sleidanus l. 1.  
Comm. p. 1. 2. 3. β) ex Pontificiis, Cochlaeus  
de actis et scriptis Luth. p. 2. 6. Polydorus Ver-  
gilius l. c. p. 470. 471. Perrus Stauuis in Hist.  
Conc. Trid. p. 4. Edm. Richerius in Hist. Con-  
cil. L. IV. P. II. p. 121. Maimburgius in Hist.  
Luth. Sect. X. f. II. apud Seckendorf.

VERBA AVCTORIS

Flammam hanc plurimi viri docti extin-  
guere conabantur, sed frustra, Lutherus de die in  
diem, (satis barbare id ab Au<sup>t</sup>ore dictum est)  
magis ac magis furebat. Qua propter a Leone X.  
summo

summo Pontifice Romam citatus, ire noluit, cuti  
tamen suae consulere uolens, Anno 1518. sub ini-  
tium Octobris, habito prius saluo Conductu-  
Augustam uocatus, se contulit, ubi die 9. eius-  
dem, re mature perpenfa, coram Pontificis in  
Germania Legato Cardinali Caietano, uno Tabel-  
lione, quatuor Casfareis Consiliariis, aliisque  
spectabilibus testibus haeresin inceptram abiura-  
uit his uerbis: *Ego Frater Martinus Lutherus Or-  
dinis S. Augustini protestor, quod reuereo, et sequor  
S. Romanam Ecclesiam in omnibus meis factis et di-  
ctis, praesentibus, praeteritis, et futuris. Quod se-  
quid mibi excidit, aut si quid contrarium dixi, nolo  
et rogo id pro non dicto haberi.* VVittembergam  
autem reuersus, consueto Haeresiarcharum more  
ad uomitum rediit. p. 8.9.

## DEFENSIO LUTHERI

§. XI. Duo hic Auctor in nostro improbat,  
quod 1) citatus Romam, comparere noluerit,  
cuti suae, hoc modo, prospicere uolens. 2) quod  
antequam Augustam concessisset, libellum liberi  
commeatus, (saluum conductum Auctor uocat)  
sibi dari uoluerit ab Imperatore, qui tum Maxi-  
milianus erat. Sed non defunt nobis rationes,  
cur Lutherum, ob utrumque hocce factum, ex-  
cusemus. Nam quod 1) attinet, falsum est, Lu-  
therum propterea uoluisse, citatum, uenire Ro-  
manam, quod extimesceret, ne forte cutis eius, ad-  
uersa quaevis, perferre debeat, nota siquidem  
sunt eius heroica uerba in Epist. ad Wenceslaum

24 DEFENSIO VITAE MISSIONIS ETC

Lincum prolatā, ex quibus, benevolus Lector, facile intelliget, quam ad mortem subeundam paratus fuerit noster, quam nihil iis aestimauerit uitam suam, adeo ut, pro Christo, uxorem, liberos, aliaq[ue] libens imittere uoluisset. Sic autem ea fluunt: *Quanto magis illi minantur, tanto magis ego confido; uxor mea et liberi mei prouisi sunt, agri, domus, substantia, cuncta disposita; gloria et nomen iam dispergitur; nnum supereft, imbecille ac fractum vorpusculum, quod, si abflulerint, forte duabus, uel una uiuendi hora, me pauperiorem facient, animam uero meam non auferent.* conf. Wernsdorf. in Diff. de progress. relig. Luth. Thes. IV. §. I. p. m. 20. 2) Caussa, quod noster non comparuerit Romam, deuoluenda in Fridericum Elecf. Sax. est, et in Academiam Wittembergensem, ut pote quae, ope et auxilio Friderici Elecf. adiuta, omnibus modis nostrum excusauit apud Papam et Carolum Miltitzium, quo minus ille Romam uenire posset. uid. Matthef. Serm. II. p. 34. 35. Sleid. L. I. p. 8. 9. add. Tom. I. Ienens. Germ. f. 105, seqq. Lutheris certe, si in eo solo res haec sita fuisset, uix neglexisset, citatus adire Romam. 3) Quid si concessisset etiam Romam? Num eum putas saluum inde redire potuisse? Id quidem ego mihi nulla ratione sinam persuaderi, qui aliunde scio, destinatos iam ad decidendam cauissam Lutheri iudices, Syluest. Prieratem, Magistrum Palatii, et Hieronym. de Genutiis Episcop. Asculensem, sententiam mortis nostro, non exaudito licet nec conuicto, dicturos fuisse, teste ipso Mainvurgio. S. I. in Hist. Luth. L. I. Sect. XVI. f. 41. apud

apud Seckendorf. nec mirum id uideri debet Electori beneuolo, paucis enim ante, quam noster citaretur Romam, diebus, Paullus Balionus, militum dux strenuissimus, eadem fata expertus, cum quod mireris! contra fidem ei ab eodem Leone X. P. R. datam, morti adiudicatus, orbi huic uale dicere debuerit, sicut disertis id uerbis confirmat Julius Ferretus in tract. de Gabellis et publicanis num. 95. Nec illud 4) praetercundum silentio a nobis est, quod Leo X. P. R. rosam auream per Miltitzium Friderico Electori, doni loco, misserit, quam ob caussam? boni omnes intelligunt, nimirum, ut is facilem se praebuisse in extradando Lutheru, et, si forte uitam amisisset, non nimium id curasset, uid. Matthes. Serm. II. p. 39. Sleidanus lib. I. Dresserus millenar. VI. Satis de primo isto, paucis iam et II. istud expediendum, quo improbare uidetur Auctore in nostro, quod is scil. antequam Augustam concederer, se in fidem recipi ab Imp. Maximiliano uoluerit. In eo enim laudandus noster est potius, quam timiditatis alicuius accusandus, quia Cardinalis Caietanus (qui nostrum examinare debebat) in mandatis habuit, tamdiu ut nostrum uinculum detinaret, quamdiu non eum Papa Romam habere posset, testante id Pallavicino, homine Pontificio L. I. Hist. Conc. Trid. cap. IX. n. 3. add. Tom. I. Iemens. f. 181. Tom. II. Alt. f. 115.

§. XII. Formula, qua creditur Lutherus, doctrinae suae nuncium mississe, ab Auctore fide pessima adducitur, praeterquam enim, quod huic quaedam ex suo inferuerit genio, tam astutum se

## 26 DEFENSIO VITAE MISSIONIS ETC

in ea alleganda exhibet, ut huius duntaxat exordium retineat, (quod ille ex reuerentia erga Pontificem Rom. quem tum adhuc pro capite Ecclesiae uisibili agnoscebat, protulit,) negligat uero adponere sequentia, quae exordium excipiunt, et ex quibus, si in medium producantur, quilibet animaduertere potest, quam falso creditur noster, palinodiam ceciniſſe. Sic autem, prout ea nim. Tom. I. Ienens. Lat. f. 186. b) legitur, sonat: *Ego Martinus Luthcrus Augustinianus, protestor, me colere et sequi sanctam Romanam Ecclesiam in omnibus meis dictis et factis, praesentibus, praeteritis et futuris. Quodsi quid contra uel aliter dictum fuerit, pro non dicto haberi et habere uolo.* Verum ex quo Reuerendissimus Dominus cet. mibi de mandato D. Papac, ut afferebat, proposuit, et exegit, ut, super disputatione, quam de indulgentiis babui, tria haec facerem, primum, redirem in mei cognitionem et errorem revocarem, secundum, cautelam praestarem de futuro non repetendis, tertium, permitterem abstinere ab omnibus, quae Ecclesiam Del perturbarent. Ego, qui disputau, et ueritatem quaesiui, quaerendo derelinquere non potui, multo minus ad revocationem compelli, non auditus, neque conuictus. Hodie protestor, me, non esse mihi concium, aliquid dixisse, quod sit contra Sacram Scripturam, Ecclesiasticos Patres, aut decretales Pontificum aut rectam rationem, sed omnia, quae dixi, hodie quoque mibi sana, uera, catbolica esse uidentur.

§. XIII. Vtrum eius doctrina haeresis, ipse uero haeresiarcha, dici possit, in eo refutando, non erimus nunc copiosi. Posterius illud, iam  
(§. II.)

(§. II.) remouimus a Lutheru; prius per eandem  
Sphum, sponte sua corruit, qui enim haereticus  
uel haeresiarcha non est, illius nec Doctrina, no-  
mine haerefeos, uenire et aecusari iure potest.

## VERBA AVCTORIS

Anno 1519. die 27. Iunii fuit celebris illa di-  
sputatio inter D. Ioannem Eckium, Professorem  
Ingolstadiensem et D. Andream Carolstadium in  
Castro Ducali Lipsiae coram Georgio Saxoniae  
Duce, totaque Vniuersitate Lipsiensi de Libero  
arbitrio, de gratia, de bonis operibus, de pri-  
matu Romani Pontificiis cet. instituta, *in qua*  
(teste Casparo Peucer Melanchtonis Genero in hi-  
storica narratione aduersus D. Crelle) *orthodoxa*  
*ueritas ad 14. Iulii oppugnata triumphum, haeresis*  
*probrum reportauit.* Prostrato per Eckium Ca-  
rolstadio, Lutherus totus anxius, sudoreque  
aestuans disputationi continuandae fese obtulit,  
quod etiam commendata prius in disputando  
modestia, indulsum ei fuit. Sed Lutherus Ca-  
rolstadio adhuc infelicior, adeo ut in fine quasi  
desperabundus in haec uerba, ipsi postea toties  
exprobrita, prorupit (pro prorumperet) *Haec*  
*Disputatio non est incepta* (pro incepta) *propter*  
*DEVM, nec propter DEVM finietur.* Testantur  
haec quotquot eidem disputationi interfuerer-  
eiusque acta conscripsere, p. 9. 10.

## DEFENSIO LUTHERI

X. XIV. Auctor errat statim in definienda  
die inceptrae disputationis huius, cum dicit, ini-  
giun

tium eius collocari debere in diem XXVII. Tunii, certum uero est ex Epistola quadam Petri Mosellani, qui huic actui disputatorio interfuit ipse, eam incidisse in diem XVIII. Iunii, durasse autem trium circiter hebdomadarum spatio. uid. Seckendorf l. c. f. 90. b).

§. XV. Prostratum, (ut Auctor loquitur) Carolstadium ab Eccio (Eckium Auctor uocat absque causa) fuisse, nullo unquam testimonio uero probabitur, sed nec nos in eo nunc immorabitur: illud uero necessarium magis ducimus ostendere, Lutherum, infeliciorem Carolstadio in hoc actu disputatorio non fuisse. Prouocamus hic merito I.) ad testimonium Spalatinii, quod uide sis apud Seckendorf. L. I. H. Luth. f. 91. b) et D. Simon. Pistorium sen. qui in relatione de Disp. Lips. die 23. An. 1519. Eleotori Friderico in gratiam facta, candide fatetur, Doctissimum inter litigantes hosce Lutherum fuisse, dum inquit: das gemeine Gerüchte von jederman und dem meisten Theil fälet D. Martino zu, uid. quoque Archiu. Vin. Reg. N. f. 110. litt. H. n. 43. II.) Si infelior noster Carolstadio fuisset, uictus utique dicendus esset ab Eccio, sed eum non fuisse uictum, patet α) ex confessione ipsius Eccii, fatetur enim ipse in Epist. ad Georg. Hauen et Francise. Burkardi Profess. Ingolstad d. 1. Iulii An. 1519. Lipsia data, se, Carolstadium et Lutherum, re infecta abscessisse α) ex hac Disputacione, uid. Seckendorf. L. I. H. L. f. 85. b) et 86. a). Ita ergo, ex confessione huius, nullus uictor, sed nullus etiam uictus dici ac haberri posset, β) ex testimoniis

stimonio Petri Mosellani, qui, ut dictum, actui  
huic disputatorio ipse interfuit, ipsumque est  
auspicatus oratione, de uera disputandi ratione.  
Scripsit ille elegantem quoque Epistolam ad Bi-  
libaldum Binckheimerum, in qua ostendit, quis  
Eccius fuerit, et quomodo se inter disputandum  
gesserit. Verba eius haec sunt: *Eccius contra*,  
(opponit eum Carolstadio, quem laudat a mo-  
destia Theologica) *clamore, uultu militari ac truci*,  
*gestu bistrionico pene, et incessu impetuoso, feroculus*  
*quispiam apparebat; omnia illa corporis signa ani-*  
*mum parum Theologum declarabant. Dixitque Geor-*  
*giam quempiam disputare, non Theologum. Adeo*  
*leuiter et impudenter subinde se iactabat. Magnam*  
*adeo iacturam nominis sui apud nos fecit. Leuissime*  
*afferit, quae falsa sunt: impudentissime negat, quae*  
*pro certo uera, idque eum iactatione sui, quo res sic*  
*odiosior -- Eccius optimos quoque et doctissimos Theo-*  
*logici ordinis, ut sibi suspectos a iudicio submonuit.*  
uid. Sculterus in Decade 1. p. 37. Seckendorf.  
L. I. H. L. f. 91. a) Penes Lectorem sit, uter ho-  
rum uictor uel uictus dicendus. Meo quidem  
iudicio, putarem, Lutherum pro uictore, pro ui-  
cto Eccium, habendum esse. Neque enim pro-  
meret aliud is, quam ut pro uicto habeatur, qui  
nim. afferit ea, quae falsa sunt, impudentissime  
negat ea, quae uera sunt, remouetque eos a iudi-  
cio sententiaque decisiva, qui interea optimi do-  
ctissimique ab aliis merito praedicantur. III.)  
Verissimum forte illud est, quod alibi Lutherus,  
de se et Carolstadio adnotat: *Ita me DEVS ameri-*  
*sateri rogor, uictos nos esse* (sed quomodo uelim!)  
clamore

## 30 DEFENSIO VITAE MISSIONIS ETC

*clamore et gestu.* Tom. I. Ienens. Lat. f. 294. Pulcre certe ! Sed et illa IV.) Verba Caspari Peucer, quae Auctor pro se allegat, rectissime se habent, nec tam in Eccium, quam b. Lutherum nostrum quadrare uidentur, de huius enim doctrina, quae orthodoxa semper fuit, uerissime dici potest, quod oppugnata licet ad d. 14. Iulii, triumphum nihilominus reportauerit, haeresis autem probrum. Quo nomine, si Auctor doctrinam Eccii intellexerit, sicut et intellexisse eum, uerba eius condocent ; nos quidem, in condonando ei hocce uitio, quo Eccium suum is apud omnes insimulauit, haud difficiles inueniet !

§. XVI. Verba Lutheri, *haec disputatio non est incepta propter DEV M, nec propter DEV M finitur*, intelligenda non de Luthero sunt; sed de eius aduersariis et hostibus, ipse certe fatetur in uerbis, quae mox recensebimus, se quidem in nomine Domini disputationem suam fuisse exorsum; desideratum uero id fuisse in aduersariis suis ac hostibus. Ita autem, *Factum est*, inquit, *Lipsiae in arce in Cancellaria, cum de disputationis forma ita tractaretur, ut in Eccii emolumentum, meum uero damnum, omnia tenderent, et aduersarii plus ambitioni, quam ueritati darent, cum tamen eo usque sperasse illos, sicut et ego, in DEI nomine, negotium illud adgressos esse.* Tum uerbis querulis et tristi animo dixi, *res haec non est copta in nomine Domini nec in nomine Domini exitum habebit idque eventu comprobatum est, omnibusque notum, quam nullus eius disputationis fuerit.* Tom. I. Alt. p. 558.

VERBA

## VERBA AVCTORIS

Lutherus interea in contumacia crescente. -- Vnde Summus Pontifex Anno 1520. die 14. Iunii Romae decreto publico, foribus S. Petri affixo 41. errores eiusdem damnauit, libros publice concremauit, ipsumque Lutherum, ut Schismaticum et Haereticum ab omnibus uitandum, et, ut iura postulant, puniendum declarauit: quod cum per Germaniam ex Cathedris promulgaretur, unumque exemplar Vniuersitati Wittembergensi missum esset, Lutherus tanto in Papam exarsit odio, ut eodem adhuc anno 10. Decembr. Libros Iuris Canonici et Decretum Leonis, conuocatis scholaisticis, suisque Auditoribus Wittenbergae post Nosochomium (pro Nosocomium) publice propria manu igni damnauit (pro damuauerit) pronunciatis inter alia his uerbis; *Quoniam tu conturbasti sanctum Domini, idcirco conturbet te ignis aeternus.*

## DEFENSIO LVTHERI

§. XVII. Lutherum adeo pertinacem non fuisse, in admittenda saniori doctrina, quam ipse professus esset, supra ad §. II. testimonio Erasmi et Polydori Vergilii, comprobatum dedimus; ubi etiam, nec non §. XIII. vindicare eum uoluiimus, ab iniquo nomine haeretici, haeresiarchae et Schismatice, quorsum, beneuolum Lectorem, scire talia porro uolentem, remittimus, ipsumque Autorem rogamus, similia ut conferat, diligenter

## 32 DEFENSIO VITAE MISSIONIS ETC

genter ponderet ac examinet, ne falso deinceps puter, in his non fuisse sibi satisfactum. Necio uero, quod paucis quoque indicandum erat, quem hic Auctor, nomine Summi Pontificis, intelligat? Romanum si intellexerit Pontificem, in eo uehementissime errat, cum omnibus, sacras Scripturas legentibus ac scrutantibus constet, hoc nomine, solum Christum, Summum illum animarum nostrarum Episcopum ac Pontificem I Petr. II. 25. condecorandum esse, uelut testatur Apostolus Paullus in Epist. ad Hebr. cap. IV. 14. 15. coll. cap. II. 17. cap. III. 1. cap. VII. 26. cap. VIII. 1. cap. IX. 11. Caeteri doctores omnes uel Episcopi sunt, uel Presbyteri ec Compreb-  
teri, ferui ac dispensatores mysteriorum etc.

§. XVIII. Quod Auctor non probet factum Lutheri, commisum ab eo, in comburendis ad portam urbis VVittembergensis Elystrinam (non post Nosocomium, ut Autor afferit) libris decretalibus Pontificum aerate recentiori uiuentium (neque enim Ius Canonicum aut decreta Patrum antiquiorum combussituid. Tom. I. Ep. Luth. Ep. 202. p. 294.) nec non Bulla nouissima Leonis X. P. V. id quidem nos non adeo miramur: sufficit, nec nobis deesse rationes, propter quas factum istud Lutheri, excusare possemus. In iis uero recensendis, iam nobis otium fecit ipse b. Luthe-  
rus noster, qui facti huius adeo sufficientes, dum adhuc uiueret, rationes dedit, ut magnum quon-  
dam Ecclesiae nostrae fidus, Bebelius nempe, au-  
dacter affirmare potuerit, huic eas a nullo  
quoquam fuisse refutatas, in memorab. Hist.  
Eccles.

Eccles. recent. Period. I. §. 25. p. 35. Hoc ergo magis iuuabit eas audisse Lectorem, quas nos ita exhibemus, prout eae huicdum leguntur Tom. II. Ienens. Lat. f. 316. 6, et 317. a) fide, credat uelim Lector! optima: *Iesu, omnibus Christianae ueritatis cultoribus et studiosis Gratiam et pacem a Deo Patre et Domino Iesu Christo! Ego Martinus Lutherus, dictus Doctor Theologiae, notifico in uniuersum omnibus, mea uoluntate consilio et opera, die lunae post natalem S. Nicolai, Anno Domini M. D XX, exustos esse Pontificis Rom. libros et nonnullorum eius discipulo-rum.* Si quis igitur, ut mibi futurum persuadeo, hoc admirabisur, interrogaturus, quibus de causis et quo mandato hoc fecerim? his ipsis sibi responsum permittat. Primo, est ueteris exempli et antiqui moris, infectos, et improbos codices comburendi. Quemadmodum legimus in actis Apostolorum cap. XIX. ad doctrinam diui Pauli, libros pro quinque millibus denariorum esse concrematos. Secundo, utcunque sit, sum tamen baptisatus Christianus atque adeo iuratus S. Scripturae Doctor, sed et quotidianus concionator, cui pro nomine, conditione, iureiurando et officio suo conueniat, peruersas, falsas, seductorias et impias doctrinas abolere, uel saltem impedire. Et quamuis multo plures iisdem sint obstricti conditionibus, eodem deuineti officio, qui tamen id ipsum uel nolint, uel nequeant, facere et praestare, fortassis ob imperitiam et humanam formidinem et metum; tamen ego eo ipso nibilo sum excusator, si mea conscientia satis sit instructa, et meus animus DEI gratia satis fortiter excitatus, cuiuspiam exemplo se retineri sustineat. Tertio, neque tamen hoc operis co-

natus essem, nisi, expertus, uidissim Papam et Pontificios corruptores et seductores, non solum errare et seducere, sed etiam eos, post multas instrunctiones a me frustra factas, in suis impiis erroribus et perditionibus animarum, adeo prorsus induratos et fascinatos, ut non solum non patientur se, uel duci, uel doceri, sed etiam coecos, obturatis auribus et oculis, Euangelicam doctrinam condemnare et exurere, ad suas Anti-Christianas et diabolicas abominationes confirmandas et conseruandas. Quarto, nec credo eos mandatum habere a Leone X. Pontifice Rom. quantum per eius stat personam, nisi secus intelligam. Cui etiam ipsi spero, a me combustos libros, quamquam ab eius Praedecessoribus conditos, non placere, quodsi ei etiam placeant, nihil hoc mea retulerit. Ad haec scio, certis hoc nunciis edoctis, Colonenses et Louanienses, iactantes, sese habere Caesareae Maestatis ueniam et mandatum, meos codices comburendi, parcere ueritati, nam id propositi aliquot millium aureorum munere a nonnullis Magistratibus coemerunt. Quinto, postquam ergo eiusmodi eorum combustione librorum, ueritati magna imminere iactura, et apud imperitam plebem suspicio inde ad multarum animarum perniciem nasci posset, ego uicissim instinctu, ut spero, Spiritus, ad confirmandam et conseruandam ueritatem Christianam et uulgus, libros aduersariorum combusti, inspecta eorum insperabilis emendatione et correctione. Itaque nemo se permettat commoueri sublimibus titulis, nominibus et clamoribus Pontificiae conditionis, Canonici Iuris, diurnae consuetudinis, horum combustorum codicum, sed prius audiat et uideat, quid Pontifex in suis

*suis libris docuerit, quam uenenatas et abominabiles doctrinas sacra spiritualia iura contineant, et quid bactenus, loco ueritatis, adorauerimus. Et tum libere indicet, inslene an iniuste huiusmodi liberos combusserim.*

## VERBA AVCTORIS

Iam quatuor circiter labebantur anni, ex quo Lutherus pacem Ecclesiae turbare cooperat, Imperator Carolus V -- Wormatiā, ubi comitia indicta erant, ut uenit, Lutherum ad se citat, qui, accepto celeriter eius rei Nuncio, pelli suae ante omnia prospectum uoluit, ac ideo saluum Conductum, non Imperatoris tantum, sed Imperii quoque Principum, manu signatum expeditit -- Lutherus interea, iuxta Imperatoris editum, post 21. dies Wormatia discedere coactus fuit, in itinere autem, iussu Friderici Saxonie Ducis (immo Electoris quoque) Fautioris sui, ab aliquibus equitibus interceptus, et ad castrum Marchburgense (male, Wartburgense scribere debuisset Auctor, Matthes. Serm. III. p. 73.) prope Isenacum secure delatus, ubi perq. menses et ultra inclusus et delicate habitus latuit. In hoc castro ac solitudine, quam Lutherus suam Pathmon (error orthographicus est, patrum scribere debuisset Auctor, neque enim Graece παθμος sed παλμος dicitur) uocabat, ipse confilium nouae sectae ex ueteribus ruinis exaedificandae -- cum Diabolo (qui testibus eius Discipulis specie et habitu Monachi non sine defectu

monstruoso (pro monstroso) unguium ad eum uenire solitus erat) iniit eo artificio, ut ianuae et fenestrae omnes uolupratibus carnisque desideriis aperte, pudori uero et bonis operibus clausae essent, gnarus scilicet, nulla re mortales allici tenaciusque irretiri posse. In hac solitudine celebrem illam disputationem de sacerdotio et Missae sacrificio cum Diabolo habuit, cui, disputando uiectus, in Iunio, se ipso (satis barbare) triumphum concessit p. 11. 13. et 14.

## DEFENSIO LVTHERI

§. XIX. Vtrum Lutherus pacem Ecclesiae et publicam turbauerit; huic dubio infra ad §. XXIV. satisfacere studebimus. Nunc uideamus licet, utrum is propterea imiditatis alicuius (quam Auctor phrasit, *pelli fuae ante omnia prospectum uoluit*, indigitat) sit accusandus, quod prius, quam Wormaliam iret, fidem publicam (Saluum Conduictum Auctor, more suo, uocat) sibi ultro dari expetierit, non modo Imperatoris ipsius Caroli V. piae reminiscentiae, sed et caeterorum Imperii Princeps, manu signandam et corroborandam? Auctor ad quaestionem propositam affirmando; nos negando respondebimus, moti hisce rationibus I) quia, si ab Imperatore solo expetiisset sibi libellum commeatus liberi, facile hic, continua persuationibus Cleri Romani, eo perductus fuisset, ut Luthero fidem datam negasset. Quis nescit fata Ioannis Huss? Et iste enim sub fide publica Constantiam ad conci-

concilium vocatus, nihilominus tamen rogum, contra fidem ei datam, experiri debuit, quod factum, uel ipsi Pontificiorum Scriptores quidam improbant, nota sunt uerba Petri Placa L. I. epit. delict. c. 37. in fine expresse scribentis; *Haereticos uocatos in Concilio Constantiensi sub salvo conduceu, contra datam fidem, necatos esse*, ut Tiberianum Decianum et Salomonium, idem illud improbantes, silentio hac uice, praeteremamus. uid. interea Menochius consil. 100. num. 193. 194. Meisnerus in Philosoph. Sobr. Part. III. cap. VII. p. 254. 255. 317. 318. Cui nota est astutia et doctrina Cleri Romani, talia non mirabitur, nostro euenire facile potuisse, docent quippe publice in scriptis suis et propugnant; *non licere pacisci cum haereticis ut libere possint in damnata corum secta uiuere*, uid. Conrad. Bruno L. III. de Haeret. cap. XIII. II) Iuramenti formula, a Carolo V tum dicta, cum is Bononiae a Pontifice Rom. Clemente VIII. trina huic prius ab eo praestita pedum exosculatione, pro Imperatore coronaretur, haec fuit: *Ego Carolus Romanorum Rex et breui Dei gratia, futurus Caesar, per Deum Diuumque Petrum promitto, pollicor, testificor, atque iuro, me impostorum pro viribus, ingenio et facultatibus meis, Pontificiae dignitatis et Romanae Ecclesiae perpetuum fore defensorem, nec ullam Ecclesiasticae libertati vim illaturum: sed potestatem, iurisdictionem, et dominationem ipsius, quoad eius fieri potest, conservaturum, et protecturum, cuius rei testem uoco Deum ipsum et haec sancta Euan-gelia*, uid. Coelestinus in Hist. Comit. August.

## 38 DEFENSIO VITAE MISSIONIS ETC

p. 16. Sleidanus L. VII. p. 181. 182. Strauchius  
 in continuat. Sleid. p. 404. 405. Szegedinus Hung.  
 d. l. p. 114. Notum procul dubio et nostro fuit  
 iuramentum istud, quare diffidebat de fide Cae-  
 faris, unde factum etiam puto, quod is, non  
 contentus fide sibi a Caesare isto data, sigillum  
 quoque et consensum caeterorum Imperii Prin-  
 cipum rogauerit. Deo id in' acceptis referimus,  
 quod Imperatori huic eum indiderit animum,  
 ut interea; aliis cum sollicitantibus, in primis Ale-  
 andro Legato Pontificis Rom. (teste ipso Pontif.  
 Scriptore Pallavicino d. 4. cap. 35. f. 41.) ne fi-  
 dem, ex decreto Constantiensis Concilii, *Haeretico*  
*seruaret*, grauiter responderit, *fidem rerum pro-*  
*missarum, etiam si toto mundo exulet, apud Impera-*  
*torem confidere oportere*, ita refert Zenocarus in  
 uita eius. add. Mathes. Serm. III. p. 58. 70. Sleid-  
 anus L. III. p. 60. et ex ipsis Pontificiis D. Landherr in schaffen runden Auge. Admirat.  
 VIII. litt. K. I. III. Lutherum adeo timidum  
 non fuisse, ut propter timorem forte Wormati-  
 am, concedere noller, nisi habito prius saluo,  
 ut Auctor dicit, conductu, testantur eius uerba,  
 quae ille, ab aliis dissuasus toties, ne Wormatiam  
 iret, animo imperterritu protulit, *mibi uero, qui,*  
*uocatus sum, decretum et certum est, ingredi urbem in*  
*nomine Iesu Christi, etiam si scirem, tot Diabulos mi-*  
*hi oppositos, quot sunt regulae, in omnibus totius or-*  
*bis teclis, Tom. II. Ienens. lat. f. 412. a Tom. II.*  
*Ienens. Germ. f. 79. Colloqu. eius mens. cap. 28.*  
*f. 284. Marthes. Serm. III. p. 59. et illa ad Spa-*  
*latinum; Si Caesar me ad occidendum uocare uelit*  
*et*

*et bac refponsione Imperii hostem me babuerit, offer-  
ro me uenturum Epift. 220. p. 214. a Selneccerus  
quoque perhibet in Orat. Hift. de initiis, cauſſis,  
et progress. Auguft. Confefſ. p. 58. 6. maluiffe  
Lutherum, fi Deo placuifſet, martyrio ſe ſubii-  
ci, dilacerari, diſsecari, tranſfodi, cremari, ob ue-  
ritatis coeleſtis confeſſionem, ſaepeque eum in-  
geminaffe illud, *miferum me inquiendo, qui in-  
dignus iudicor martyrii corona (O felices, qui pro-  
pter Christi ſanguinem, fundunt ſanguinem, et pro-  
pter Christi mortem morti non timent.* ibid. p. 60. a.*

§. XX. Quod Auctor dicit, Lutherum, de-  
licate habitum, in hac arce ſecurum delituiffe, id  
quoque ſpecie omnis ueri caret. Nam eti non  
negemus, iſpum et in hac patmo ſua uiētum ha-  
buiffe, illud tamen admittere non poſſumus,  
quod delicate habitus fuerit, et adeo ſecurus  
in hac arce delituerit, ut nullam plane ha-  
buiffet curam uel ſui, uel auditorum ſuorum.  
Cerre I) aliud oſtendunt Sermones eius ſacri,  
quos in gratiam illorum, qui praefentes erant,  
ſingulis diebus ueneris, aliisque diebus festis ha-  
buir, ut teſtatur Marthef. Serm. IV. p. 76. add.  
Hübner. in Comp. Reform. Hift. edit. Germ.  
p. 69. tot. II) Libri, quos in hac arce conſcripſit  
u. g. de uotis Monasticis, de abroganda Miſſa  
priuata, de confeſſione priuata, Poſtillas Germa-  
nicas Euangeliorum Dominical expositiōnem  
Pſalm 67. et 37. reſutationem Latoni, Ambroſ.  
Catharini, et Hieronymi Emferi, quinimmo et  
initium uerſionis Germ. N. T. in hac Patmo fe-  
cit, quam tandem anno ſequente 1522. luci ex-

C 4 posuit

## 40 DEFENSIO VITAE MISSIONIS ETC

posuit publicae uid. Tom. I. II. et III. Alt. Tom. II. Ienens. Lat. f. 477. Spalatinus Tom. I. epist. Luth. 229. p. 327. b.) epist. 233. p. 334. Matthes. Serm. III. p. 76. 77. Sleidan L. III. p. 67. Bucholtzerus in Indice Chronol. p. 494. ad Ann. 1521. ita ut b. Wernsdorfius noster, iure optimo scribere potuerit, *adeo nunquam minus otiosum fuisse Lutherum quam cum otia retur*, in Diff. de progressu emendatae per Luth. religionis Thes. IX. §. VI. p. 53. Accedit III) quod et morbo implicitus fuerit interea, dum hic commorari ipsi fuisset necessum, ut ipse fatetur L. I. epist. 226. 203. 234. et 251. testante id quoque Matthesio I. c. et Strauchio in continuat. Sleidan. p. 392.

§. XXI. Verum esset omnino, quod Auctor afferit, Lutherum consilium iniisse cum Diabolo, nouae sectae ex veteribus ruinis exaedificandae, si doctrina quoque eius, quam professus est, et nunc profitetur eam adhuc in genuinis cultoribus suis, (peccime illi, nomine sectae traducuntur ab Autore) cum doctrina Diaboli, uel in minimis quibusdam conueniret; sed, cum contrarium doceat, uel ipsa inspectio librorum a b. Luthero editorum, falsum inde et hoc sit, opor tet, quod Auctor de nostro afferit. Nominet nobis, si uir est, uel unum ex discipulis Lutheri, qui id perhibeat, quod ille afferit de nostro, saepe eum nim. conuenisse Diabolum informa Monachi cuiusdam? Dicere talia non sufficit; probare debuisset Auctor, quod ipsum fecisse cum neglexerit, nec de nobis spem uel minimam sibi faciat, habituros nos esse fidem relationi eius, de monstro eiusmodi.

§. XXII.

¶. XXII. Quam falsum illud quoque sit, quod Auctor de nostro afferit, ianuas ipsum et fenestras omnes, uoluptatibus carnisque desideriis aperuisse, pudori uero et bonis operibus clausisse; iel. I) ex thesi prima, primae eius disputationis probari potest, quae hunc in modum sonat; *Dominus et Magister noster Iesus Christus dicendo poenitentiam agere etc. omnem uitam fideliuum poenitentiam esse uoluit.* uid. Tom. I. Ie-nens. Lat. f. 3. Osiander Cent. XVI. L. I. cap. XXI. p. 41. seq. II) Verba eius, quae leguntur in expositione cap. V. Comment. eius ad Galat. itidem contrarium probant; *extra causam iustificationis nemo potest bona opera fatis magnifice commendare.* *Quis enim, uel unus boni operis, quod Christianus ex fide, et in fide facit, utilitatem et fructum satis praedicare potest?* est enim praetiosius quam coelum et terra. Huc pertinent, et illa, quae reperiuntur in libro eius, de libertate Christiana: *Non liberi sumus per fidem in Christum ab operibus, sed ab opinionibus operum, id est a stulta presumptione iustificationis per opera requista.* Ad-das si placet, Art. VI. August. Confess. in quo itidem necessitatem bonorum operum afferuit noster, adeo ut caussam nullam habuerit Auctor, contrarium de nostro scribenidi.

¶. XXIII. De disputatione illa, quam Auctor credit nostrum, cum Diabolo habuisse in arce Wartburgensi, nihil quidquam commemorant coaeui scriptores; et credo ego, auctorem istud defunxisse ex male intellectis uerbis Lutheri, hunc in modum sonantibus; *der Teuffel sing mit mir in meinem Herzen eine solche Disputation*

an, wie er mir dann manche Nacht bitter und sauer machen kan, latine reddita sic se habent; coepit Diabolus mecum in corde meo disputationem: multas enim noctes satis acerbas et molestas mibi fatere potest. uid. Tom. VII. Vitemb. lat. f. 228. Quibus uerbis nihil aliud ostendere vouluit Lutherus, quam quod grauiter tentatus sit a Diabolo, immisso cordi ipsius, acerrimo dolore, quod per annos quindecim ex coena Domini, contra eius institutum, sacrificium fecerit, explicatio est illustriss. Domini a Seckendorff nostratis L. I. Hist. Luth. fol. 167 a) cui simillima illa sunt b. Friderici Balduini; temptationem Satanae expertus est Lutherus, non institutionem abominationes missae ipsi obiecit Satan, quas Lutherus negare non potuit, conscientiam eius tetigit, ut sudorem ipsi angor ille excuteret, et sic quem laqueis suis Papistis extricatum sciebat, in desperationis abyssum praecipitare satagebat, abiiciendo horrendas abominationes, superstitiones et idolomanias, quibus hactenus pollutus fuerit in Regno Papistico, sanctos inuocando, coningium certosque cibos abiurando, missificando, et similibus, quorum omnium nequam iste spiritus dux et auctor est, quem non pudet neque piget, in unius hominis aeternum exitium propria sua inventa detestari, uid. eius Phosph. ueri Cathol. l. III. cap. XXVII. p. 251. 252. add. Gerhardus in Confess. Cathol. Append l. L f. 329. 6.) Caeterum, quod non fuerit uictus Lutherus, temptatione ista (auctor disputationem dicere mauult) in articulo de Sacerdotio et Missae sacrificio, id sequenti ratione probaremus, ostensuri, assertorum auctoris absur-

absurditatem summamque contrarietatem. Iure  
igitur dicimus, tum Lutherum scribere debuisse,  
contra sacerdotium et sacrificium Missae, cum  
victus esset, ut auctor afferit, a Diabolo: sed  
longe prius eum, contra ista Pontificiorum do-  
gmata scripsisse, uel sequentia ista, beneuolum  
Lectorem, condocebunt. Atque hic, ut copiofi-  
simus, in probando priore illo, quod nim. con-  
tra Sacerdotium scripserit prius adhuc, quam  
ei, haec tentatio a Diabolo obtigisset, afferens,  
Sacerdotibus licitum quoque esse, matrimonium  
ut incant; caussam non uideo, cum iam huic  
dubio, satisfecerit b. Müllerus, Hamburgensem  
quandam decus illud illustre, in Defensione Lu-  
theri defensi cap. VII. p. 200. seqq. ubi et loca  
adducit b. auctor ex scriptis Lutheri, hoc, quod  
nos intendimus, probantia. Ad posterius illud  
nos conuertimus, operam daturi, ut per huius  
quoque probationem legitimam, desiderio, bene-  
uoli Lectoris, fiat satis. Paullus Bachmannus,  
(Amnicola, ab aliis salutatur) Abbas ueteris cel-  
lae apud Noſcnam p. 40. 41. Hist. eius concedit  
annos XV. nostrum sacrificasse, in uerbis: *annos*  
*XV. totor ſemper ſolus priuatim pro TE missa uſuſ es*  
(Luthere) *in Sacramento.* Constat autem aliunde,  
Lutherum Sacerdotem fuisse factum An. 1507.  
Erfurti, primamque eum Missam celebrasse, Do-  
minica Cantate, ut testatur ipſe in Epift. ad Ioan-  
nem Braun, uicarium Ifenacensem, data, quam  
uide ſis L. I. Epift. Luth. Epift. statim I. Ita  
ergo incidisset annus XV. Sacerdotii Lutheri in  
an. 1522. mensem Maium, quod denuo conce-  
dit

dit Cordemoyus p. 62. homo itidem Pontificius. Atqui indubitatum est, Lutherum longe ante annum huncce (in quem et disputatio haec Lutheri cum Diabolo referenda est, iuxta alios uero in annum 1521.) contra Missam scripsisse, illam nim. non esse sacrificium, quod probatur a) ex sermone quodam Germanice a 'nostro d'ato, anno adhuc 1520. cuius hic est titulus, *de novo Testamento et sancta Missa*, uid. Tom. I. Alt. f. 114. 6., seqq. eius §. XXIV. sic sonat: *praeclipe statuendum est, Missam non esse, nec esse posse Sacrifictum, non magis ac alia Sacra menta, baptismus, confirmatio, poenitentia, unctio etc. Alias perdere mus Euangeli um, Christum, solatiu m, omnemque gratiam Dei.* §. XXVII. sic: *Missa, nihil aliud est; quam testamentum et sacramentum diuinum, nec potest esse opus aut sacrificium.* §. XXVIII. Sic: facile dicitur, *Missa est opus operatum, non operantis, sed difficile probatur: non sufficit dicere aut consuetudinem allegare et laudare.* β) ex libro, qui inscribitur, de *captiuitate Babylonica*, prodiit anno 1520. mense August. editio eius secunda, anno eod. mense Octobr. uid. L. I. Epist. Luth. Ep. 187. 189. in hoc, quod oppugnauerit Missam noster, testis est ipse Bachmannus Abbas, loco anteal allegato. γ) ex tractatu eius contra Ambros. Catharinum, dedicato Wenceslao Lincio Augustiniano, composito autem anno 1521. d. 1. April. Sacerdotii Lutheri XIV. prius igitur, quam is concederet Wormatiam ad Comitia, uid. Tom. II. Ienenf. Lat. f. 370. seqq. δ) inde quia in Comitiis Wormatiensibus anno 1521. habitis, inter alios

alios eius errores (sic, per contemnum, doctrinam eius, vocant, Pontificii) a Hieronymo Alejandro, nuncio Pontif. Rom. et hic propositus ipsi est, ad reuocandum, desumtus ex libr. de captiu. Babyl. *Manifestus et impius est error* (quintus nim. in ordine) *Missam pro peccatis, pro satisfactionibus, pro defunctis aut quibuscumque necessitatibus suis aut aliorum, offerre seu applicare!* quem Lutherus etiam pro suo agnouit, in uerbis: *de ipsa Missa seu Sacramento dixi non de orationibus in Missa*. uid. Tom. II. lenens. Lat. f. 441. 6.) add. Gerhardus in Confess. Cathol. l. c.

## VERBA AVCTORIS

Lutherus autem totus in id incumbebat, ut Ecclesiam Dei perderet, quapropter scriptis, uoce, precibus et minis horrabatur omnes, ut oculos aperirent, iugumque seruitutis abiicerent, ex quibus tandem coniurationes, seditiones, directiones urbium, deuastationes Provinciarum ac cruentissimum illud Rusticorum bellum in Germania ortum est. p. 15.

## DEFENSIO LUTHERI

§. XXIV. Videt Lector, auctorem in uerbis allegatis, multa nostro imputasse citra ueritatis speciem, non fecus ac Gentiles olim Christianis fecere, testante id Clemente Alexandr. L. VII. Strom. Praecipuum horum illud est, quando asserit auctor, nostrum, ansam quasi dedisse

et

## 46 DEFENSIO VITAE MISSIONIS ETC

et occasionem, sua doctrina, rusticis, qui tum  
uiuerent, arma sumendi. Excusant tamen eum  
merito sequentia I) quia aduersus hos scriptit,  
uid. Tom. III. Alt. f. 109. 114. 124. et Tom.  
III. Iencnf. Germ. f. 108. 113. 141. 118. ro-  
gans eos, desisterent a malo eiusmodi, uid. Tom.  
III. Ienens. Germ. f. 183. 125. seqq. it. Tom. II.  
Ienens. Germ. f. 455. add. Matthesius Serm. V.  
p. 112. scriptit quoque Melhusium ad senatum,  
maxime propterea, caueret sibi a doctrina Münt-  
zteri, nec eum reciperet, quod homo seditionis  
effet. uid. Sleid. L. V. p. 124. idem fecit et ad  
Antwerpenses. uid. Tom. I. Ienens. Germ. f.  
100. Non fecisset autem, si auctor horum tumultu-  
tum fuisset, uel saltē contulisset aliquid, sua  
opera, ad suscipienda arma aduersus Magistratū.  
II) Auctor belli istius constituitur et me-  
rito quidem Müntzerus, et qui eum sequuti-  
funt, a Melanchtone nim. uid. Tom. III. Ienens.  
Germ. f. 131. 135. 136. Matthesio l. c. Sleidano  
L. V. p. 117. Bucholcero in Ind Chronol p. 513  
qui et tandem captus, dignas sceleris poenas luit,  
triumphum ducentibus, Friderico Elect. Sax.  
Philippo Landgrauio et Henrico Brunsuicensi.  
uid. auft. cit. III) Non sufficiebat Lutherio, scri-  
ptis saltē dehortari plebem, a seditionibus;  
ipse quoque concessit ad territorium Mansfelden-  
se et huic loca uicina, Wismariam, Erfurtum,  
Orlamundum, Ienam, uisurus, utrum hos, qui  
rebellabant, sermonibus, uiua proferendis uoce,  
a tumultibus istis reuocare ac retrahere posset.  
Loca scriptorum, id perhibentium, dabit Salig.  
l.c.

l. c. L. I. cap. IV. § III. IV. p 90. seqq. IV) Contrarium ostendunt eius uerba: *Saeuierunt contra me Pontifex et Imperator, sed patientia mea effelum est, ut, quo magis saeuierint, tanto laius propagata sit doctrina mea, de Euangelio. Gladium nunquam strinxi, ultionem non exercui, defendi, quantum potui, potestatem Magistratum, etiam illorum, qui Euangelium et me persecuti sunt: substiti in hoc, et DEO omnia commisi, sola eius potentia et tutela nixus.* Itaque, inuitu Papa et omnibus adversariis uiuum me is seruauit, (quod pro miraculo a multis et a me ipso agnoscitur) et Euangelio semper maiora augmenta dedit. At uos, (seditiosi nemp. rustici uestrique Doctores!) nunc moleste interuenitis et Euangelium ui promouere uultis, nec uidetis, a uobis illud, hoc modo, uebementissime impediri. - Vae uobis, falsi prophetae, qui miseram plebem, in corporum et animarum iacturam praecipitatis! uid. Tom III. Alt f. 114 et 106. Conferri hic etiam possunt ea, quae Lutherus adnotat in explicat. Praecept. IV. leguntur ea in Catech. eius maio. p 441 442. edit Rech. V) Prouoco ad testimonium Philippi Melanchtonis, qui de Luthero sic scribit: *Etsi (Lutherus) fuit natura ardens et iracundus; tamen semper, sui muneris memor, tantum docendo praelatus est; ac uenit arma sumi, sapienterque distinxit officia toto genere diuersa, Episcopi, docentis Ecclesiam DEI, et Magistratum, qui gladio coercent certorum locorum multitudinem. Quare cum aliquoties Diabolus, qui scandalis dissipare Ecclesiam, et conumelia DEVU[m] officere studet, et, ut est exixtuperans, uoluptatem capit.*

capit, ex hominum miserorum erroribus et exitio, inflammasset seditiosa ingenia ad excitandos tumultus, ut Monetarium (Münzerum intelligit) et similes; acerrime illos furores damnauit et dignitatem, ac uincula omnia, politici ordinis, non solum ornauit, sed etiam muniuit. Execrabatur, igitur, non solum huius aetatis seditiosos Doctores, Monetarium et Anabaptistas, sed etiam eos Episcopos Romae, qui audacissime impudentissimeque decretis conditis affirmarunt, Petro, non tantum Euangelium docendi munus mandatum esse, sed etiam, imperia politica tradita esse. -- Ac talis quidem Lutherus ipse fuit, quae DEI sunt, DEO dedit: recte docuit, DEV M recte inuocauit, habuit alias uirtutes necessarias in homine, qui placet DEO, deinde in politica consuetudine constantissime uitauit omnia seditiosa consilia. uid. eius tract. de uita et actis Luth p. 14 15 item orat. funebr. p. 97. edit Hofman. add Tom II. opp. Luth. Witt. et Tom VIII. Alt f. 874 nec non Boxhornius in Hist. Eccles Lips. an. 1675 recus. p. 1050. seqq. Denique VI iuuat audisse ipsum Bellarminum, sed quantum quaeso, apud suos uirum! qui L. III. de Laicis, cap. 2: quoque faretur, Lutherum, horum tumultuum, auctorem non fuisse, sed his potius se opposuisse, acerrime quidem, sicut uerba id eius testantur: potestatem politicam esse apud Christianos illicitam, est opinio Anabaptistarum, quam non solum Catholicci omnes execrantur; sed etiam Lutherus, in visitatione Saxonica et Philippus Melanchton acerrime oppugnant. Credat uel huic auctor, si fidem habere noluerit supra allatis!

VERBA

## VERBA AVCTORIS

Ardente per Germaniam Rusticorum bello, Lutherus Anno 1524 die 9. Oct. Cucullum ad sepem suspendit, habitumque Laicum Praedican-  
tium more, ex panno nigro Britannico, ei a Fri-  
derico Duce (Electore scribere debuisset Auctor)  
dono oblato, induit. Tum de excucullato hoc  
Monacho prodiit illud I cuculla, uale Cappa!  
etc. p. 15. 16.

## DEFENSIO LUTHERI

§. XXV. Tacite uidetur Auctor (quemad-  
modum id, benevolus Lector, me uel non mo-  
nente, intelliget) reprehendere in Luthero, quod  
is, cucullo, ut ipse loquitur, ad sepem suspenso,  
alium habitum assumferit. Sed cogitare debu-  
isset Auctor I) illud Pauli Colof. II. 16. 17. ne-  
mo nos iudicet in cibo uel potu etc. Si enim  
in his uerat Apostolus quenquam iudicare aut re-  
prehendere, cauflam certe non haber is repre-  
hendendi, qui talia, ob uestitum mutatum, alii ob-  
ligere malit. II) quod non sponte aut consulto  
id fecerit noster, sed ad mandatum Friderici Elec-  
toris Sax. qui ei hunc in finem pannum (num  
Britannicum, ut Auctor asserit, id quidem ego  
certo affirmare non audeo) dono misit, ut ex hoc  
sibi (quemadmodum per iocum ipse inquiebat)  
uestitum conficiendum curasset, quallem saltem  
uellet. uid. Tom. II. Alt. f. 864. III) quod id fe-  
cerit, aliorum, fratrum in primis, hortationi-  
bus adductus, fatente id Erafmo in Epist. ad Pe-

trum Lupsetum in ord. XI. L. XVIII. *Quin et ipse Lutherus pallium et barbam Philosophi posuit, fratrum bortationibus adductus.* IV) quod id fecerit propter aduersarios suos, qui perpetuo eum hoc nomine apud extraneos traducebant, quasi lis docuisse, multa aliis licere, quibus tamen ipse uti noller. Vnde est illud Spalatini, quando is, *Martinus*, inquit, *Lutherus Dominica post Francisci, sine cuculla Wittembergae praedicanus.* Dominica Galli ante prandium, rursus in concionem cucullatus prodidit, post prandium uero, sine cuculla, concionatus; ut falsus sit Erasmus, ut amiculus ad me scripsit Lutherum docere, ea licere, quibus ipse non uititur. apud Schelhornium in Amoenit. eius Tom. IV. p. 416.

## VERBA AVCTORIS

Anno 1525 die 27. Iunii, dum maxime ferueret bellum, non sine dissuassione amicorum, gaudio uero omium Apostatarum, paulo post Carolostadium, contraxit matrimonium cum Catharina Boraea aetatis 26. Annorum Abbatissa Nimptscheni ordinis Cisterciensis per eundem sedueta, et per Leonhardum Koppen, Ciuem Torgauensem, Lutheri amicum et Catharinae Amasium Anno 1523 die 7. April. magno scilicet die ueneris circa 12. horam noctis cum aliis octo Monialibus haud inuire rapta, quae iam per duos annos inter studiosos Wittembergenses generis communis erat. Hanc Lutherus Luciferum Wittembergensem, suumque Dominum appellata

pellabat, hanc Imperatricem creauit, hanc in sanctorum numerum retulit, hanc adhuc uinam a mortuis suscitauit, hanc tandem ipsi Iesu Christo anteposuit. Nec illa pro tot in se collatis beneficiis ingratam se exhibuit, sed Monachum suum etiam in Imperatorem creauit corona invisibili, Luthero tamen sat palpabili, ut Episcopus Joannes Nas Centur. 5. p. 498. Eusebius Engelhard in suo Lucifero Wittembergensi part. 2. cap. 16. aliquie pluribus demonstrarunt. Mortua autem est haec serenissima Imperatrix Torgauiae ex desperatione Anno 1552. die 20. Decemb. et in Festo S. Thomae Apostoli hora 3. pomeridiana ibidem in Ecclesia Parochiali non multis cum ceremoniis sepulta -- Ex hoc sacrelego matrimonio, quod Lutherus sibi non minus necessarium esse aiebat, quam comedere et bibere ac uentrem purgare, habuit ipse septem proles hoc ordine: Andream uidelicet (qui Anno 1525. die 10. Iulii, hoc est, die 14. post decantatum Hymenaeum natus est) Ioannem, etc. p. 16. 17.

## DEFENSIO LVTHERI

§. XXVI. Catharina Boraea, uirgo nobilis, quae aliquamdiu monialem egit in monasterio Nimpfshensi, a Luthero neque seducta, neque iniuita rapta est; sed sponte illa se, uitiae monasticae nuncio misso, nullo plane ei quidquam suadente, contulit cum aliis octo Torgauiam, unde tandem Wittembergam promota fuit, opera

in primis Leonhardi Coppe, (falso is ab Auctore Boreae amasius constituitur, cum alias et retinuissest eam forte apud se et duxisset etiam) et huius fratruelis VVolfii Tomitsch, ciuum Torgauiensium, ad Lutherum, cui interea fuga, sicut osto reliquarum, ita Catharinae nostrae, ignota plane erat, sicut id ipse fatetur in Epist. ad Spalat. p. 130. Epist. eius. uid. Consil. VVittemb. Tom. IV f. 19. et Tom. VI. VVittemb. f. 245. nec non Tom. II Alt. f. 310.

§. XXVII. Falsum est, Catharinam hanc, per illud tempus, quo VVittembergae uitam agebat, generis communis, ut Autor afferit, inter studiosos VVittembergenses fuisse, eam siquidem I) honeste, et in silentio munia sua obiisse in aedibus Philippi Reichenbachii, cui illa a Luthero commendata erat, testimonio esse possunt Consil. Wittemb. T. IV. p. 19. ubi inter alia, haec de nostra leguntur; und ist unter ihnen Kätha von Bora zu dem Stadt-Schreiber Herr M. Philippo Reichenbachen, so in der Burgermeister-Gassen gewohnet, auch Licentiat und Burgermeister hernach worden, da sie sich stille und wohl verhalten, welches Lutherum bewogen, daß ic. II) Vix mihi persuadere possum, virum eiusmodi, qualis laudatus Philippus Reichenbachius fuit, toleraturum fuisse scortum tale in sua domo. III) Si adeo, Catharina haec, libidinibus indulgebat, quæro ego ex Auctore, ut mihi caussam dicat, qui factum sit, quod tamen matrimonio iungi noluerit Doctori Glacio, Pastori Orlamundico, toties licet monita, ut id faceret,

a b.

a b. Luthero nostro et Amsdorfo? uid. Scultetus ad ann. 1525. p. 274. Seckendorf. L. II. H. Luth. f. 14. IV) Epitaphium, ipsi in honorem a Tor-gauiensibus positum, quoque testimonio esse potest, quam Catharina Boraea castitati studue-rit toto uitae suae tempore. uide illud sis, apud b. Hübnerum Hamburg. in Comp. eius Hist. Reform. Germ. edit. p. 128.

§. XXVIII. Manifestam sapis calumniam illud, quod Auctor asserit, Lutherum, Cathari-nam hanc, suam coniugem, nominasse lucife-rum Wittembergensem, suumque Dominum, creasse item illum hanc, Imperatricem, in Sanctorum numerum retulisse, uiuam adhuc a mor-tuis suscitat, immo, quod merito horrorem in nobis excitat! ipsi Iesu Christo anteposuisse. Nul-libi talia legas in scriptis b. Lutheri nostri, prae-ter phrasin illam, qua, per iocum ueluti, Luthe-rus, hanc suam coniugem, Dominum suum no-minare solitus erat, fortasse propterea, quod cuncta, quae ad oeconomiam pertinebant, eius dominio curaeque permisericit, prout reste id pro-bat b. Ioh. Frid. Mayerus in Diff. de Catharina Lutheri coniuge §. XXVI. p. 36. conf. interea colloq. eius mensal. p. 311. item colloq. et meditat. lat. Francofurti edit. part. II. p. 18. 19. Serio enim eam, hoc nomine, appellare non potuisse, monstrant a) uerba eius, quae leguntur in Epist. ad Michaëlem Stifelium d. 11. August An. 1526 data; *Salutat te Ketha costa mea et gratias agit,* quod eam litteris tuis, tam suauibus, dignatus es. *Ipsa belle habet, DEI dono, mihiique morigera et in*

## 54 DEFENSIO VITÆ MISSIONIS ETC

*omnibus obsequens est, et commoda plus, quam ausus  
fuisse sperare (DEO gratia) ita ut paupertatem  
meam, nollem cum Croesi diuitiis communare L. II.  
Epist. Luth. p. 318. In his laudat eam ab obsequio  
et obedientia, dominium igitur eam usurpare in  
nostrum uel hinc refellitur. 3) Concessit quidem ipsi  
dominium Lutherus, uerum non in se, sed in rebus  
oeconomicis usurpandum, sicut denuo id uerba  
eius ostendunt; *TV (uxor scil. mea) mibi persuas-  
deas, quidquid uis, otum habes dominium. In oco-  
nomia quidem tibi concedo dominium, salvo iure meo.*  
*Mulierum enim dominium nihil boni unquam effect.*  
in colloq. et medit. Luth. part. II. p. 19. 3) Nec  
potuit noster dominium uxor in maritum suum  
in aliis ferre, qui igitur in Catharina sua id tu-  
lisset? Verba, quae id ipsum probant, haec sunt:  
*Inobedientia uxor, mi Stephane, mibi satis dispi-  
cet, - Certe quando sciebas asnum pabulo lascivire,  
i.e. uxorem indulgentia et obsequio tuo fieri deterio-  
rem, debuisses cogitare, Te DEO oportere plus obe-  
dire, quam uxori, id est, non ei permetteres, auto-  
ritatem maritalem, quae est gloria DEI, ut Paullus  
ait, ab ipsa contemni et conculcari. Tom. IX. Witt.  
f. 271. b) Quae Auctor adducit, a uoce, *Nec illa-*  
*usque ad Demonstravit; ea hic repetere nolo;*  
cum et turpissima illa sint, et castis auribus plane  
indigna, quae referantur, uel refutentur. Possunt  
ea esse manifesto indicio, quis Auctor no-  
ster sit, et quomodo tum etiam indulserit uagis  
libidinibus, cum talia scripserit. Gentilem haec  
dedecent, nedum Christianum hominem, aut Sa-  
cerdotem Petrinum!**

§. XXIX.

§. XXIX. Mortua non est haec Lutheri  
coniux ex desperatione, quod ipsum probo testi-  
monio I) uerborum, quae leguntur in epitaphio  
eius Torgauiae: *Frau Catharina Herrn D. Mar-  
tini Lutheri seligen nachgelassene Witte, ist all-  
hier zu Torgau in Gott seelig entschlaffen den 20.  
Decemb. An. 1552.* uid. Mayerus in Diff. cit.  
§. 32. p. 44. ex his enim adparet, ipsam beate in  
Domino obdormiuisse; at, qui hoc modo ex hac  
uita discedit, is ex desperatione mortuus dicen-  
dus, utique non est. II) Paulli Eberi Vice-Recto-  
ris tum Academiae Wittemb. qui in programma-  
te, quo ciues Academiae ad funus istud inuita-  
bat, sic de Catharinae obitu scribit: *toto morbi  
tempore se ipsam consolans uoce DEI sustentauit, et  
ardentibus uotis placidam migrationem ex hac aeru-  
mossa uita optauit, saepe etiam Ecclesiam et liberos  
suos DEO commendauit, et precata est, ut puritas  
doctrinae, quam DEVIS per mariti uocem huic po-  
stremae aerati, reddidit, incorrupta ad posteros trans-  
mitti possit.* uid. Intimationes Wittemb. An. 1553  
Mayerus l. c. p. 44. 45. 46. Certe, qui ex despera-  
tione moritur, talia faceret, proxime ante obi-  
tum, non potest.

§. XXX. Multis quoque eam caerimoniis  
fuisse sepultam, patet exinde, quia uniuersus  
coetus Doctorum ac Professorum, Magistrorum  
ac studiosorum, Academiae Wittembergensis,  
quae tum, ob pestem, Torgauiam translata erat,  
eius cadauer usque ad locum sepulturae comita-  
batur. Testimonio, hac in re, inseruit Paullus  
Eberus. Programmate antea a nobis citato.

D 4

§. XXXI.

§. XXXI. Quando Auctor, matrimonium  
hocce Lutheri, sacrilegum uocat, ita expresse con-  
tradicit a) Christo Matth. XIX, 6. et Paullo ad  
Hebr. XIII, 4. honorabile ut apud omnes sit con-  
iugium, praecipienti, β) dictis illis, in quibus  
DEVS uult et mandat cultum sui spontaneum ac  
uoluntarium, Ps. LIV, 8. et CX, 3. coll. 2 Cor.  
IX, 7. qualem quis, uotis monasticis mancipatus,  
DEO exhibere, uel plane non, uel difficulter fal-  
tem potest. γ) Paulus Apostolus quoque uetat,  
in rebus mediis ac indifferentibus (quas inter et  
uota referuntur) laqueum iniicere 1 Cor. VII, 35  
uel libertatem piorum captiuare u. 23. adde Gal.  
V, 1. uel per esum, potum, aut obseruationem  
dierum festorum, nec non uotorum etiam cer.  
δ) In Veteri Testamento itidem liberum erat uo-  
ta fuscipere ac dissoluere Deut. XXIII, 23. 24.  
coll. Num. VI, 1-8-13. ε) Tandem cogitare de-  
buisset Auctor, non defuisse uel ex ipsis Pontifi-  
cibus Rom. quosdam, qui coniugium eiusmodi  
quoque personis concessere, quae uoto sacramae  
erant. Prouocamus merito ad Pium II. P. R.  
Aeneam Sylvium antea dictum, hic Ioanni Frun-  
dio, matrimonium inire uolenti, non obstante,  
illo, quod uotum in se religiosum suscepisset, sic  
respondit Epist. 321. *Credimus, TE consilio uti  
non infuso, si, cum ne queas continere, uxorem quae-  
ris, quamuis id prius cogitandum fuisset, antequam  
sacris initiareris ordinibut, sed non sumus Dii, qui  
futura prospicere ualeamus. Quando buc uentum  
est, ut legi carnis resistere non ualeamus, melius est  
nubere, quam uri!* Vides Damiane! Pontificem  
hunc

hunc indulisse coniugium Ioanni isti Frundio; quid, si dixerim ego, eum sacrilegam rem indulisse? Non concessurum te id credo, propter reuerentiam, quam Pontifici Rom. ut capiti Ecclesiae uisibili, quod errare nequeat, debes; neque igitur scribere te oportuit ac decebat, Lutherum uxorem contra uota monastica ducendo, rem sacrilegam commisisse.

§. XXXII. Quoque id manifesto falsum est, quando Auctor dicit, Lutherum matrimonium hoc cum Catharina Borea, adeo necessarium sibi duxisse, quam comedere, bibere, uentrem purgare cer. Nam ut taceam I) haec, comedere, bibere, uentrem purgare cer. non esse unum idemque cum illo, uxorem ducere, cum illa ad hominem uiuum constitendum, necessaria absolute sint; absque posteriore isto, homo consistere propterea saluus, semper potest; prouoco merito II) ad uerba (§. IX.) ubi uidimus, quam Lutherus a matrimonio ineundo prius abhorruerit, quod enim animum postea immutauerit, et contra intentionem suam, uid. Tom. II. Epist. Luth. p. 296. b) uxorem duxerit, in caussa fuere seqq. a) aduersarii eius, qui eum conuitiis eiusmodi proscindebant, quasi ea, quae in libro de uotis monasticis, docuerat, ipso facto negasset, aliis coniugium permittendo, a quo tamen ipse abstinuisset haetenus. Loca id probantia, uideri possunt in Epist. Luth. ad D. Ioh. Ruhelium, Affinem suum, data An. 1525. d. 5. Maii, item in Epist. ad Spalatinum Tom. II. Epist. p. 294. b. item in Epist. ad Amsdor-

D 5 fium

## 58 DEFENSIO VITAE MISSIONIS ETC

fium Tom. II. Epist. p. 295. add. colloq. mens. p. 323. clarissima illa sunt, quando in Epist. ad nominatum iam antea D. Ioh. Ruhelium data d. 3. Iunii in uigilia Pentecostes sic scribit: *Si Elec-tor* (Albertus Moguntinus Cardinalis, ut ex praecedent. litteris Tom. III. Alt p. 140. perspicuum est) forte dicet, *cur ego ipse non ducam uxorem, qui omnes ad nubendum incito, respondebis, me sem-per abhuc dubitasse, an idoneus ad id sim.* Attamen si meo matrimonio Elector confirmari potest, prope-diem paratus essem ad exemplum ei praebendum. Nam et alias cogito, antequam ex hac uita discedam, ut matrimonium contrabam, quia id a DEO exigi-puto, licet forte futura esset despensatio Iosephica. 3) Pater Ioannes Lutherus, quod ipsum fatetur denuo in epist. ad D. Ruhelium in uerbis; *ita-que postulante patre meo, coniugium inii.* Tom. III. Epist. Luth. p. 150. item in Epist. ad Amsdor-fium: *spero me breue abhuc tempus uicturum, et hoc nouissimum obsequium parenti meo postulanti nolui denegare spe prolis, simul ut confirmem facta, quae docui - sic DEVS uoluit et fecit, ego enim nec amo, nec aestuo, sed diligo uxorem uid.* Tom. II. p. 295 Accedit III) si uerum esset id, quod Au<sup>c</sup>tor de nostro asserit, necessario eum primum esse debu-isce, in uxore ducenda, statimque ducere debu-isce, simul atque liberatus fuisse a uoto suo; sed neque primus ipse duxit uxorem, (cum constet Bartholomeum Bernardi, Praepositum Kember-gensem, primum fuisse) neque ita statim, post-quam claustro exemptus esset; uerum expectauit cum uxore ducenda, longo admodum tempore,

ut

ut perhibet Matthesius Serm. V. p. 120. Secken-dorf. L. I. Hist. Luth. §. 104. f. 170.

§. XXXIII. Risum continere non potui, ubi legissim, Auëtorem asserere, Lutherum septem liberos (proles ille uocat) genuisse, cum extra controuersiam sit, eum sex tantummodo, non plures, nec pauciores habuisse, filios quidem tres, Ioannem, Martinum et Paullum, toridemque filias, Elisabetham, Magdalenam et Margaretham uid. Conf. Wittemb. P. IV. p. 16. add. Mayerus in Diff. cit. §. XV. p. 24. M. Dauid Richter in genealogia Lutherorum p. 417. apud Magnif. Hoffmannum in traët. quo ille memoriam saecularem funeris et sepulcri. D. Mart. Luther. recolare studuit §. 33. p. 53. in not. Verum id esse, probari ad oculum potest a) ex epitaphio uxoris ipsius, quod uide sis apud b. Hübnerum l. c. p. 128. b) ex Epistola ipsius Lutheri, ad Wencesl. Linicum data, in qua ille expresse asserit, *babeo, inquietando, uxorem et sex liberos a DEO donatos, quo thesauro Papistae sunt indigni.* add. collectio colloq. et medit. Luth. Francofurti ad Moenum edit. An. 1571. part. 2. p. 18. 6.

§. XXXIV. Andreas igitur ille, qui itidem filii Lütheri ab Auëtore adnumeratur, Lutheri filius nunquam fuit, nec potuit ergo illum Lutheri coniux ante tempus peperisse, quod Auëtorem innuisse, certum est inde, quia asserit p. 16. Lutherum matrimonium contraxisse An. 1525. die 27. Iunii, pag. uero 18, addit, eius uxorem statim mense seq. in Julio scil. d. 10. peperisse, atque ita nec per mensem quidem ute-rum

60 DEFENSIO VITAE MISSIONIS ETC

rum gestasset, quod aduersatur omni plane historiae de Lutheru et eius coniuge, quotquotem omnino litteris consignarunt. Erasmus quoque falso scripsisse putandus esset, cum tamen uerissime scriperit in Epist. XXII. L. XVIII ad Francisc. Syluium: *de coniugio Lutheri certum est, de partu maturo sponsae uanus erat rumor, nunc tamen grauida dicitur* (iusto scil. tempore.)

VERBA AVCTORIS

Anno 1529. die 4. et 5. Octobr. Marchburgi (male, Marpurgi scribere debuisset Auctor) in Hassia habuit Lutherus coram Philippo Landgrauio (qui ex indultu Lutheri legitima uxore uiuente duxit aliam) colloquium cum Hulderico Zwinglio novo apud Tigurinos Euangelista, in quo Zwinglius post multa lacrymis, ut aiunt (sed barbare satis) Lutherum eiusque socios obtestatus est, ut se suosque in fratres reciperet. At Lutherus elata fronte uerbisque asperis, *maledicta*, inquit, *sic talis concordia* - - Testatur etiam quidam Lutheranus Anonymus, Lutherum colloquium suum hoc syllogismo notatu digno terminasse, *Quicunque dissentient cum Christo, illi non possunt esse fratres in Christo, Tu et ego dissentimus cum Christo. Ergo non possumus esse fratres in Christo.* Bonus profeccio Syllogismus, nec Aristoteles coram Alexandro Magno fecit meliorem. p. 18. 19.

DEFENSIO LVTHERI

§. XXXV. Auctor asserit, Philippum Landgrauium, consentiente Lutheru, aliam uxorem, legitima adhuc uiuente, duxisse; sed falso quia I) Phi-

Philippus iste Landgrauius non nostrum in consilium adhibuit, antequam uxorem istum duxisset; sed Theologos Hasso-Casselanos, qui, hanc rem, communicarunt quidem cum nostro, sed tarde admodum. II) Sententiam suam Lutherus quoque non Landgrauius ipsis aperuit, sed Theologis Hasso-Casselaniis, et iis quidem solis, quos etiam, hoc nomine, obsecrabat, diligenter cauerent, ne talia rescirent alii, ab ipso profecta esse; quae dum ipsis porro, contra uoluntatem eius, publica fecissent, Lutherus confidenter quoque assuerabat; *Ego et Melanchthon nostra auctoritate nihil proficiemus et antequam publice causam hanc defendam, aut negabo responsum illud, a me et Melanchtonne datum: esse (secretum enim fuit et si publicetur nullum fiet) aut, si haec insiciatio non subsistet et responsum nostrum, non, ut reuera est pro confessionali, sed pro consilio babeatur, errasse et despiciisse me facerob potius et ueniam petam: scandalum enim nimium est intolerabile*, uid. Archiu. Vinariens. Reg. C. f. 163. n. 19. seqq. item Reg. H. f. 300. n. 25. f. 115. et 311. Responsi ipsius tenor iste erat, ut ipsis, Theologi nempe Hasso-Casselani, omnibus modis in id incumberent, quo Philippus iste a proposito suo desisteret, si tamen difficilem eum admodum in recipiendo consilio obseruarent, tum optime eos facturos, ipsis persuadet, si DEO, hanc rem precibus suis commendauerint, ipsum uero Philippum in proposito, semel caepio, continuando, abire permerint. Ita Seckendorf. L. III. Hist. Luth. f. 278. a) ex uolum. Reg. cit. f. 151. III) Tom. VII. Alt. f. 405. scribit noster,  
*Land.*

*Landgrauium habiturum, quae reponat; sibi tamen ipsi unam tantum Landgrauianam natam esse, quae domina et mater Hassiaca sit et dici debeat, filiam nempe Georgi Ducis Sax. id quod manifesto denuo potest esse indicio, Lutherum factum Landgrauii, non probasse, nec agnouisse, alteram istam uxorem, pro genuina coniuge Landgrauii.* IV) *Insimulatus tandem, hoc nomine, quasi polygamiae fateret, audacter defendebat se his uerbis; Wer mehr denn eine Frau nimmet und will, das es ein Recht seyn soll; dem gesegne der Teuffel das Bad in Abgrund der Höllen. Amen!* Latine redditia, sic sonant; *quicunque plures, quam unam ducit uxorem, idque iure se facere iactat, illi diabolus in inferno balneum paret.* uid. Archiu. cit. f. 231. add. Seckendorf. l.c. f. 281. a) V) *Nec illud praeterendum hic est, prius coniugium hocce, cum Margaretha de Sala adprobatum a Philippo et eius legitima uxore esse, quam nostri responsum Wittemberga a Bucero fuisset adlatum. Nuptiae enim die 3. Mart. siue Mercurii post Dominicam Oculi, Rotenburgi ad Fuldam peractae sunt. Approbatio Christianae, uxoris Landgrauii legitimae, praecessit die XI. Decembr. in arce Spangenbergensi, uigore cuius, illa, in nuptias istas consensit; sigillo hanc communiens, hocque unice a marito suo sibi expetens, uelit suam dotem iuraque liberorum farta testaque relinquere. Dum haec geruntur, Bucerus adhuc Wittembergae apud Lutherum commoratur, ac licet ad diem 10. Decembr. responsum ab eo imperat, fieri tamen non potuit, ut tam cito illud cum Philippo communis-*

municare potuisset; iam post decretum destinatumque coniugium, eni bono, uelim! responsum Lutheri fuit? uid. Seckendorf. d.l. f. 278. a) et b). Ut raceam VI) illud, quod Lutherus polygamiā pro maximo quoque uitio habuerit et in aliis eam improbauerit. uid. si placet, Disput. eiusdem de hoc Them. Thes. II. 20. 32. 136. apud b. Mülleterum l. c. cap. VII. p. 200. seqq.

**§. XXXVI.** Quoque uidetur Auctor reprehendere id in nostro, quod is, in colloquio Marburgi habito, Zwinglium et qui a partibus eius stabant, Bucerum et Oecolampadiū, rogatus licet multis cum lacrymis, pro fratribus agnoscere aut assumere noluerit. Sed expendere debuisset Auctor, caussam, cur id non fecerit noster, non in b. Lutherum nostrum, sed in nominatos uirōs hosce, deuoluendam merito esse. Iam enim in XIII. Articulis, qui in controuersiam uocabantur, conuenerant; discrepabant solum in articulo de S. Coena, quem cum nominati isti uiri in eo sensu, quo Lutherus eum afferuit, assumere recusarent, deinceps et a nostro reiecti sunt, nec recepti pro fratribus, iure et merito, quo tamen non obstante mutuo dissensu, caritatem et amorem illis mutuum spopondit, prout testantur id eius uerba; *nqn dico, fraternalm inter nos esse unionem: est tamen placida et amica concordia, ut a nobis amice poscant, que illis desunt, et nos uicissim illis seruimus.* Tom. IV. Alt. f. 563. 103. Matthes. Serm. VII. p. 194. 190. add. Seckendorf. L. II. f. 137. nec non aduersariorum eius, quando inquiunt; *et si autem, an uerum corpus et sanguis corporaliter*

*in pane et uino Coenae Domini praefens sit, hoc tempore non concordauimus: tamen una pars alteri, christianam dilectionem, quantum cuiusque conscientia feret, declarabit, et utraque pars, Deum omnipotentem diligenter orabit, ut nos spiritu suo in uera sententia confirmet, Amen!* uid. Seckendorf. l. c. f. 138. a) Turretinus in Comp. H. Eccl. p. 192. Vtrum Syllogismus iste, quem Auctor adducit, desumptum ex Anonymo quodam Lutherano (quem optassemus, nominasset Auctor) scriptore, impediuerit, quo minus utraque ista pars litigantium conuenire potuerit; id quidem nunc nos silentio praeterimus sponte, cum aliunde scimus, eum, neque a Luthero fuisse unquam prolatum, neque tantam uim in se continuisse, ut isti propterea, si modo uoluissent, pacem cum nostro, fraternalm item caritatem, inire, non possent.

### VERBA AVCTORIS

Anno 1530. in Aprili concinuauit (pro concinuauit) Lutherus Torgauiae iussu Ioannis Saxoniae Electoris Augustanam Confessionem confusis XVII. Articulis constantem -- Augustae existens (Elector nempe) eam Melanchtoni tradidit, ut eam ad ordinem redigeret, qui quidem pro tunc (satis barbare id ab Auctore dictum est) non adeo notabiliter (etiam barbarissimum sapit) eam immutauit -- quae per plures Catholicos Theologos serio examinata et solide refutata -- Imperator uidens eius refutationem in publica ualedictione a Principibus et Statibus eam damnauit, adhaerentes uero, receptores et fautores eius, quan-

quando praesertim nulla emendationis spes afful-  
gebat, etiam gladio persecutus est. p. 19. 20.

## DEFENSIO LVTHERI

§. XXXVII. Auctore odio erga Augustanam Confessionem, asserit, eam ex confusis Art. XVII. constare, non expendit autem, distinguere eum pro-  
be debuisse tempus inchoatae et absolutae iam Au-  
gustanae Confessionis. Non diffitemur, eam a principio ex XVII. duntaxat Articulis constitisse; sequenti tamen tempore ad XXVIII. Articulos ex-  
crevit, quorum XXI. sunt doctrinales, VII cae-  
remoniales, neque tamen propterea confusionis alicuius accusandi, cum constet, eos sic elaboratos a b. Lu-  
thero nostro et Philippo Melanchtonem, piis con-  
fessoribus, esse, prout illis se materia offerebat,  
unde nec plures nec pauciores ipsi Articulos con-  
dere potuerunt, quam sunt isti, quos hucdum san-  
cte adhuc retinemus, quoisque ut condidissent  
tum, eum illi uixissent, summa postulauit necessi-  
tas, conf. Tom. V. Germ. Ienens. f. 14. 15. 16.

§. XXXVIII. Committit Auctor errorem chronologicum, asserendo, tum Philippum Melanchtonem Augustanam Confessionem mutasse,  
quando illi XVII. isti Articuli, opera Lutheri ela-  
borati, a Ioanne Constante exhibiti essent, in or-  
dinem, magis, ut ille putebat, conuenientem, re-  
digendi. Extra omnia siquidem dubitationis aleam positum est, Melanchtonem mutasse in  
plerisque locis Aug. Confess. An 1540. at exhibita ipsi ad elaborandum fuit An. 1530. quo tem-  
pore et Augustae, coram Imperatore Carolo V.  
perfecta publice est. uid. Libr. Ecclesiae nostrae

## 66 DEFENSIO VITAE MISSIONIS ETC

Symb. ex recentissima edit. An. 1742. p. 88. Admissam semel mutationem, Melanchton denuo An. 1541. reuocabat in peculiari quodam ad Latinum scripto, his uerbis; *perspicue testati sumus, nos amplecti et tueri communem consensum Ecclesiae Catholicae, quod in Coena Domini, consecrato pane et uino, uere et realiter adsit et sumantur corpus et sanguis Domini. Testati etiam sumus, nos improbare eos, qui negant adesse et sumi corpus Christi.* Factum id est in colloquio Ratisbonensi. uid. Hist. Aug. Com. f. 300. et 306. it. Pup. Sax. p. 374. add. Wernsdorf. in Diff. qua is A. C. Historiam a recentiorum quorundam corrupteis vindicata dedit, Witt. 1730.

§. XXXIX. Illud quoque inter commenta Auctoris referendum est, quando asserit, Augustanam Confessionem, solide a pluribus Catholicis Theologis, ea aetate uiuentibus, refutatam esse, equid enim I) solidi ab iis proficiisci potuit, qui iurati erant Lutheri nostri adeoque ueritatis ipius hostes, quales Theologos istos fuisse, uel ipsa nomina corum indicant, diligenter connotata a Spalatino in Annal. p. 140, 141. add. T. V. Alt. f. 157. Salig. d. l. L. II. cap. V. §. VI. p. 229. seqq. II) Si solide fuit refutata Aug. Confessio, iure quaero, quid caussae fuerit, quod tamen, refutationem hanc, nostris non communicauerint, toties licet ab iis expetitam? Philippus enim Melanchton in Praefatione Apologiae A. C. praemissa, tristi animo conqueritur; *nostris autem, quia audiuerant, multos articulos improbatos esse, quos abiicere sine offensione conscientiae non poterant, rogarunt*

garunt sibi exhiberi exemplum confutationis; ut et uidere, quid damnarent aduersarii, et rationes eorum refellere, possent. Et in tali causa, quae ad religionem et ad docendas conscientias pertinent, arbitrabantur fore, ut non grauatum exhiberent suum scriptum aduersarii. Sed non potuerunt id impetrare nostri, nisi periculosis conditionibus, quas recipere non poterant etc. uid. Libr. Symb. p. 47. Vnde III) et ab Imperatore Carolo V. hoc responsum impretrabant pii nostri Confessiones, quod, et si copia ipsis data fuerit hanc legandi, non tamen facultas concedetur illis, hanc, uel imprimendi, uel transcribendi, multo minus igitur refutandi. Procul dubio id fecit Imperator iste gloriofissimus, instinctu istorum, qui aderant, Theologorum nempe Catholicorum, qui, quod timerent caussae suae, talia Imperatori huic suggererunt. uid. interea T. V. Alt. f. 224. Sleid. L. VII. f. 78. p. 188. edit. in 8vo. Chytraeus in Hist. A. C. p. 219. Dor schaeus de miraculis A. C. p. 19. Bzouius ad An. 1530. §. 20. et ex ipsis Pontificiis Coelestinus in Hist. Comit. Aug. T. VIII. f. 17. Denique IV) ipsis illi, qui huius refutationis auctores erant, quaesiti, utrum Aug. Confessio ex Scriptura S. refutari posset? responderunt, id quidem fieri non posse, auctoritate modo Patrum et Conciliorum cum illis, qui hanc confiterentur, dimicandum esse, mit Propheten (sunt uerba ipsorum) und Apostel Schriften, wissen Sie die gelesene Confession nicht zuruecke zu treiben, sondern mit den alten Vatern und Concilien. Matthes. Serm. VIII. p. 218. Balduinus I. c. p. 493. seqq. Bella profecto refutatio!

§. XL.

## 68 DEFENSIO VITAE MISSIONIS ETC

§. XL. Videtur Auctor probare factum Imperatoris Caroli V. quod is in eos gladio saeuierit, qui Augustanam Confessionem profitebantur; sed, salua huius Imperatoris auctoritate et reuerentia, statueremus nos, factum hoc Imperatoris, cætera gloriosissimi, probari non posse, ob sequentes rationes, I) quia fides, quae in notitia et assensu mentis consistit, a nullo quoquam gladio extorqueri potest, iuxta illud Laetantii; *quis imponat mibi necessitatem uel credendi quod nolim, uel quod uelim, non credendi? Nihil tam uoluntarium, quam religio, in qua si animus auersus, iam sublata iam nulla est.* L. V. instit. diu. cap. XIX. Verissime hinc Nauarrai Rex, in litteris ad nobiles Aquitaniae, inquiebat; *non gladio, sed persuasione ac ui doctrinae in cordibus hominum religio plantatur, et honesto uitae exemplo confirmatur,* apud Dinethum l. VI. Hist. Gall. f. 488. II) Solius DEI est, conscientiis dominari, unde nec Apostolus Paullus dominium sive fidei sibi arrogare uoluit 2. Cor. 1. 24. Et Stephanus Batori, Polonorum Rex, statuit rectissime, DEV M triasibi referuasse, *ex nihilo aliquid facere, futura scire, conscientiis dominari uelle.* Certissima haec effata istorum sunt, nec unius aut duorum testimonio, sed innumerorum plane confirmari possunt. III) Nullum extat mandatum in Script. S. ui cuius, Imperatores aut alias quispiam, talia facere posset ac deberet. *Αναγκαστος enim ille, cuius Luc. XIV. 23. mentio iniicitur, non realis aut violentus esse debuit, cum eum remoueat alibi Christus a seruis suis Matth. XX. 25. 26. cap. XXVI. 51. 52.* sed

sed uerbalis et suaforius, quod nec Thomas ipse diffitetur, quando in h. l. sic commentatur; *sermo est Luc. XIV. de ui, quam rationes ipsae fidei per se afferunt, non de armorum uel metus incusſi, quaest.* XXII. de uerit. Art. IX. IV) Idem et testimonio Patrum confirmari potest. Tertullianus inquit; *religionis non est, cogere ad religionem, quae sponte suscipi debet, non ui. ad Scapul. c. 2. Hilarius, non decet, non oportet cogi atque compelli iniuitos ac repugnantes, in Serm. ad Const. Imp. Omnia optime Laetantius, antea laudatus; non est opus ui et iniuria, quia religio cogi non potest: uerbis potius, quam uerberibus res agenda est, ut si uoluntas -- Defendenda religio est, non occidendo, sed monendo; non sacuitia, sed patientia; non scelere, sed fide. Illa enim malorum sunt, baec bonorum. Et necesse est, bonum in religione uersari, non malum. Nam si sanguine, si tormentis, si malo religionem defendere uelit; iam non defendetur illa, sed polluetur et uiolabitur.* l. c. cap. XX. Qui haec apud animum serio expendet, ille non probabit, credo, factum istud Imperatoris. Et optaremus duntaxat, talia diligentius ponderarent omnes illi, qui in Hungaria uel alibi locorum, Imperantibus a consiliis sunt, ui obtrudendum aliis religionem esse. Efficiat id Deus ipse in animis istorum, cuius gratia, nos, suspiriis continuis, anhelamus!

## VERBA AVCTORIS

Anno 1534. prodiuit Lutherus cum sua Biblia (male, suis bibliis scribere debuisset Auctor, cum uox biblia numeri pluralis tantum sit) in

E 3

Lin-

70 DEFENSIO VITAE MISSIONIS ETC

Linguam Teutonicam uersa, in qua innumeræ falsitatis et deprauationes, additiones et excisiones adinuentrae sunt, adeo ut, in solo S. Matthæi Euangeli 34. loca aliqui notarunt (pro notauerint) a Lutherò in secunda editione mutata, monitus idcirco ab amico, minus recte ab eo factum, quod per vim alibi integra uerba in S. Scripturam intrusserit, eaque ratione Papistis iustum calumniandi ansam praebuerit, respondit : *Si Papista aliquis obmurmuret, dic tu, Martinum Lutherum sic habere uelle, eundemque dicere, esse Papistam et esse Asinum, unam eandemque rem esse.* Praeter hanc Bibliae (horum bibliorum) uersionem multa in S. Scripturam scripsit Lutherus, polemica plurima concinnauit (pro concinnauit) colloquia quaedam mensaliae tot uanitatibus, iniuriis, nugis, scommatibus, stercoribus, merdis (sit honor auribus) torque Diabolorumque (male ista cohaerent) legionibus referta, literis mandauit, ut iam posteritas credere renuit (pro renuat) similia a Lutherò, alias uiro dicto, prodire potuisse.  
p. 20. 21.

DEFENSIO LVTHERI

§. XLI. Auctor hic asserit, innumeræ plane falsitatis, deprauationes, additiones etc. in Germanica Lutheri uersione reperiri; quod nos lubentes quidem admitteremus, si modo probassæ id Auctor uel adduxisset unum saltem locum ex hac uersione, qui a Lutherò falso redditus aut depravatus esset. Ad loca Matthæi, quæ creduntur male a nostro uersa, immutataque propterea in se-  
cunda

eunda eius editione; satisfecit iam pluribus b.  
 Waltherus noster in officina Bibl. §. 1558. f. 175-  
 180. Müllerus l. c. p. 609. seqq. Seckendorf. item  
 L. I. Hist. Luth. f. 207. 208. seqq. Nostratium,  
 quae mens et sententia sit de hac Lutheri uer-  
 sione, paucis hic exponemus, ut Auctor ex his intel-  
 ligere possit, quam magnam nobis faciant omnes  
 illi iniuriam, qui nescio cuius, praeiudicii au-  
 thoritatis, nos, ob hanc uersionem, accusare, non eru-  
 bescunt. Docemus, fatemur ac credimus, eam  
 authenticam non esse uel huic saltem similem,  
 admittimus et hoc, dari quaedam in hac, sed pau-  
 ca admodum, quae, si melius reddita a Luthero  
 fuissent, oprassenuis utique: sed nec illud nos dif-  
 fiteri, sciat uelim Auctor, meliorem eam esse uul-  
 gata illa, quam ipfi, ut authenticam, exosculan-  
 tur et magnificiunt, cum tamen erroneam eam  
 esse multi uel ex ipsis Pontificiis agnouere u. g.  
 Guilielm. Lindanus, August. Steuchus Eugubin-  
 us, Lyra, Paullus Burgensis, Laurentius Valla,  
 Vatablus et Arias Montanus cet. ex nostris uero  
 demonstrarunt illud b. Gerhardus l. c. L. II. art.  
 I. cap. II. f. 386. seqq. Waltherus l. c. §. 383. f.  
 148. seqq. alii. Sufficit nobis, Emserum ipsum,  
 sed quantum, quaeſo, aduersarium b. Lutheri no-  
 stri! agnouisse, Germanicam Lutheri uersionem ele-  
 gantem satis esse, nec se melius, ipso, Germanice No-  
 rum Test. uertere potuisse, Tom. V. Ienens. Germ.  
 f. 140.

§. XLII. Verba, si Papista aliquis obmurmuret etc.  
 quae Auctor afferit nostrum dixisse, pro suspectis  
 ego haberem, cum toties scripta b. Lutheri euoluens

ac reueluens, nullibi ea in his repererim. Quid si ea quoque dixisset? Num reprehendendus propterea? Nequaquam, non certe aliud meruerunt illi, qui, nullis propemodum donis exegeticis instructi, ausi sunt nihilominus b. Lutheri nostri uersiōnē corrigere, mutare, reprehendere, immo damnare etiam, quales Theologos illos fuisse, qui Lutheri aetate uixerē, fatetur ipse Cardinalis Bellarminus, dum inquit; *annis aliquot, antequam Lutherana heres oriretur, nulla ferme erat, ut ii testantur, qui etiam tum uiuebant, nulla, inquam, prope erat in iudiciis Ecclesiasticis severitas, nulla in S. litteris eruditio, nulla in rebus diuinis reuerentia, nulla propemodum erat religio Conc. XXVIII. Opp. Coloniens. An. 1617. Tom. VI p. 296.* Lutherus alias, omnibus illis promptum se exhibuit ad corrigendum quidpiam uel immutandum in sua uersione, qui monstrassent illi ex textu authentico et originali, hoc eum, non alio modo, uertere debuisse, quare scribit Tom. VIII Alt. f. 302. ob man müste mich angreissen und tadeln, der ich zuweilen in der Dotschung gefehlet, das will ich mit Dancē annehmen.

§. XLIII. Conuitia, quae Auctor eructat, in colloquia (quae sub nomine Lutheri circumferuntur) non nimium curamus, cum auctor eorum Lutherus non fuerit, nec ea unquam in uita sua uiderit aut probauerit, quemadmodum id pluribus demonstrant ex nostris b. Gerhardus l.c. in Append. L. I. f. 331. b) Müllerus l.c. cap. I. p. 12. n. 3. alii. Neque ergo, conuitia Auctoris in b. Lutherum nostrum, uirum, ut Auctor asserit, doctum, cadere possunt!

VERBA

## VERBA AVCTORIS

Anno 1537. Smalealdiae Lutherus calculo laborabat tam atrociter, ut diem extremum fibi adesse crederet. Testamentum idcirco condidit, in quo, praeceps articulus et tota quinta essentia Testamenti erat odium in Papam. De se dicebat: *Ego morior in odio Papae.* Deinde ad circumstantes conuersus dixit: *DEVS impleat uos odio Papae.* Ex hoc Testamento haud dubie excerpit, Ioannes Wigandus celebris apud Lutheranos Theologus et quasi Episcopus sequentia uerba Lutheri, quae lib. de bonis et malis Germaniae pag. 25. refert: *Tenenda est illa grauis et uera Lutheri nox, eum saluum fieri non posse, qui non ex toto corde odiasset Papatum p. 21. 22.*

§. XLIV. Verba Lutheri, *Ego morior in odio Papae*, item illa, quae ad circumstantes dixit, *DEVS impleat uos odio Papae*, nihil uitii in se continent, si modo debito ea modo ac legitimo explicitentur, de odio nimirum non *personae* (ut Theologi loqui amant) sed *doctrinæ*. Persona papæ sicut et cæterorum, qui huius obsequio parent, nostro carissima semper fuit, quod inde adpareat, quia multas pro his orationes ad *DEVM* fudit, ut iit tandem ad agnitionem ueritatis peruenire possint: doctrinam saltem huius, manifesto erroneam et in omnibus fere scripturae S. contradicentem, ferre non potuit, ac ideo alios quoque saepe admonuit, cauerent fibi ab hac nec eam amplectenterentur. Quo facto, nihil omnino mali admisit noster, sed sequutus potius est exemplum ipsius Psaltis Regii Psalm 139. 21. 27. Et *DEVS* ipse iubet id odio

E 5 prof-

74 DEFENSIO VITAE MISSIONIS ETC

prosequi alios, quod manifesto impium, falsum ac erroneum est Amos V. 15. Rom. XII. 9. Noter hic Lector, Auctorem errare, dum asserit, Ioannem Wigandum, ad testamentum istud Lutheri Smalcaldiae conditum, cuius quintam essentiam dicit Auctor, satis quidem barbare, fuisse odium Papae, respexisse, in libro de bonis et malis Germ. p. 25. falsum id est, quandoquidem uerba, ad quae respexit celebris iste Wigandus; Lutherus, non Smalcaldiae, morbo correptus, protulit, sed anno adhuc 1520. die XI. Decembr. postquam scilicet combussisset bullam Leonis X. pauca item alia, de quibus supra actum ad (§. XVIII.) plane cum cathedram altero die academicam conscendisset, et occuparetur in praelectione Psalmorum Dauidis, tum siquidem ad auditores suos uultum conuertens, alta exclamauit uoce; *nisi totu[m] corde dissentias a regno Papali* (ergo non a Papa ipso, ut est persona per se in individuo spectata, sed a doctrina modo eiusdem, erronea illa utpote ac manifesto falsa) *non potestis assequi uestrarum animarum salutem.* uid. Tom Ienens. Lat. f. 320. add. epist. eius 192. p. 181. b.)

VERBA AVCTORIS

Anno 1545. tentat Lutherus ab amicis rogatus, patrare miraculum. Puella quaedam a Daemonе obsessa ex Misniae ditione Wittembergam adducta, ut a Luthero cœi tertio Elia liberaretur, sed frustra, dum enim in sacrario exorcisaretur, Daemon in tantas angustias Lutheri caligas (sit uerbo uenia) redegit, ut si Fridericus Staphilus, qui cum pluribus ibi aderat, forces sacrarii a Daemonе obstru-

obstructas securi per fenestram ei iniecta non effregisser, Lutherus indubie prae terrore animam exhalasset p. 22. Idem quoque repetit Auctor p. 56. 57. 58.

## DEFENSIO LVTHERI

§. XLV. Auctor hic recenset miraculum Lutheri, quod illum asserit uoluissse producere, in curanda quadam puella Misnienſi, sed euentu plane infelici. Nos putamus, optime falsae huic recensioni Auctoris de miraculo Lutheri, occurri posse I) per ueram huius facti relationem, prout eam litteris consignauit b. Sebastianus Froeschelius Archi-Diaconus t. t. Wittemb. qui huic actui ipſe interfuit. Ea sic se habet. Puella quaedam, annos nata octodecim, Misnia ad Lutherum missa fuit, quam a daemone obſeffam esse, rumor fere omnium erat. Hanc ad ſe deductam, iussit Lutherus Symbolum Apost. recitare. Fecit hoc puella; at ueniens ad uerba, *et in Iesum Christum etc.* obmutuit. Tum Lutherus, noui, ait, *te Satan, uelles ut hic magna cum pompa exercitum instituerem, sed id nolo facere.* Altero die, in templum adducitur, finito autem sermone sacro, in facellum eam uenire iubet; ubi statim in humum procidit, manibus pedibusque renitens ac recalcitrans. Videns hoc Lutherus, manum capiti pueriae imponit, Symbolum fidei et orationem Dominicam recitat, ut et dictum Ioh. XIV, 12. Preces postea ad DEVUM, cum caeteris una, qui aderant, Ecclesiae ministris, fudit, ut propter Christum, daemonem illum ex pueria fugaret et eiiceret; pede tandem hanc tangit, addens haec uerba; *superbe daemon, tu quidem cupe.*

*cuperes, ut pompa insigni aduersus te agerem, sed id  
 non faciam, scio caput tuum contritum esse, et te ad  
 pedes Domini nostri Iesu Christi iacere, iisque subdi-  
 tum esse.* His peractis domum abscessit Lutherus,  
 puella quoque ad suos reducta est, quam et sana-  
 tam denum esse, non multo ita post, amici eius,  
 nostro retulerunt. uid. Sturmius in Promtuar.  
 Exempl. P. I. f. 139 et in Theatro Diabol. P. I. f.  
 59. add. b. Frid. Balduinus d. l. L. III. cap. XXVIII  
 p. 262. seqq. Müllerus in Luthero defenso §. 236  
 edit. An. 1634. Seckendorf. l.c. L. III. f. 633. a.  
 b. seqq. Ita si referatur factum istud Lutheri  
 (quemadmodum et hoc modo referri illud meri-  
 to debet) nihil in se continet absurditatis aut  
 eiusmodi quidpiam, propter quod Lutherus te-  
 meritatis alicuius iure accusari posset, neque enim  
 ipsum se ad daemonium istud expellendum ob-  
 trusit, nec immediate etiam in eo expellendo pro-  
 cessit, sed ut eiectum iam antea est, precibus ad  
 DEVVM confugit, hunc, ut eiiciat ipse, propter  
 Christum, daemonem, enixissime rogans atque  
 implorans. II) per productionem *a*) similis exem-  
 pli, ancilla quaedam, nomine Getrudis Fischeria,  
 Lebusi prope Francofurtum ad Viadrum nata,  
 quoque diuexabatur a diabolo ita, ut, illo sugge-  
 rente, numismatibus, quoties uellet, manum re-  
 plere posset. Sexcenties id se uidisse testatur D. Io-  
 docus Willichius Profess. Francof. in Comment.  
 in Proph. Iona An. 1549. Adducta haec fuit, non  
 semel ad sacerdotem Romanensem, irrito semper  
 conatu. Noster in consilium adhibitus, quid cum  
 puella ista occipendum esset, mentem suam Eber-  
 to,

to, concionatori Francofurtensi eis Viadrum aperuit his uerbis; *cum iocularis sit iste spiritus et otio suo, securitatem nostram uideat, nobis primo serio pro puella est orandum; quae propter nos cogitur ista pati.* Deinde ipse spiritus, *nicissim est contemnendus, nec ullis exorcismis aut seriis tentandus, quia omnia ista ridet superbia diabolica.* Sed perseveremus in oratione pro puella et contemptu in diabolum, et tandem fauente Christo cessabit. in epist. ad hunc Wittemberga data An. 1536. d. 6. August. apud Secken-dorf. l. c. L. III. f. 136. 137. add. Andreas Angelus in Chronico Marchico Germ. edit. An. 1598. Adparet hinc, qualem se gesserit Lutherus noster, in depellendo isto quoque daemonio ab hac puella, scil. quod non absque mediis, sed per continuas preces suaferit aliis, malum istud, ab ea profligandum. β) uerborum ipsius Lutheri in quibus ille negat, posse quem miracula patrare, nisi extraordinarie a DEO fuerit vocatus, nec admittit existentiam aut necessitatem miraculorum, nostro imprimis tempore. Ea sic sonant: *Apostoli ediderunt signa ad Euangelii confirmationem, postquam uero Euangelium late propagatum est et universo mundo promulgatum, non est opus porro miracula facere, in Postill. Eccles. super Explicat. textus Epist. Dom. II. Adu. et in festo Ascension. Homil. II. Alio loco sic porro de hac re scribit; Wir sollen jetzt nicht, und können auch nicht die Teufel austreiben, mit gewissen Ceremonien und Worten, wie vor Zeiten die Propheten, Christus und die Apostel gethan. Beten sollen wir im Namen Christi, und die Kirche mit Ernst ermahnen zum Gebeth,*

78 DEFENSIO VITAE MISSIONIS ETC

Gebeth, daß der liebe Gott und Vater unsers Herrn Jesu Christi, durch seine Barmherigkeit den besessenen Menschen wolle erlösen -- sonst können wir die bösen Geister nicht austreiben, vermögen es auch nicht zu thun) in colloq. mens. f. 101 edit. Lips. f. 204. add. Tom. I. Ienens. Germ. f. 324 Tom. VII. f. 195.

VERBA AVCTORIS

Eodem Anno sub Paullo III summo Pontifice d. 13. Decembr. Concilium Tridentinum celebrari coeptum erat, ad quod nullus Lutheranorum, quamuis non tantum sub fide publica uocati, verum etiam obsides eis oblati essent, comparere ausus est. Lutherus interea, praesentiens Spiritum Sanctum, qui semper huiusmodi coetibus assistere solet, definitiuam in ipsum sententiam prontunciatum, ut id impediret, omnem lapidem mouit etc. p. 22. 23.

DEFENSIO LVTHERI

§. XLVI. Illud ab auctore sine ulla plane specie ueri asseritur, pios nostros confessores, ad Concilium Tridentinum, non modo sub fide publica uocatos esse, sed et obsides eis oblatos fuisse. Cur autem eorum nullus ad hoc Concilium comparuerit, in caussa fuere, sicut multa alia, ita illud in primis, quod singula in hoc in ordinate gesta et suscepta essent, nam α) conuocauit illud Paullus III. P. R. (falso is nomine summi Pontificis ab auctore insignitur, ut ostensum supra est ad §. XVII) non uero Magistratus politicus ut factum in Concilio Nicaeno, Constantinopolitano, Ephesino, etc.

Huius

Huius enim officii est, conuocare Synodos et Concilia, excipe, si Magistratus infidelis sit, aut religionis Christianae plane nullam curam habeat, tum enim et Episcopi ac Presbyteri, conuocare illud possunt, exemplo Apostolorum A&t. XV.  
β) Praeses huius fuit itidem Papa Rom. non uel summus, Christus, uel subordinatus, Imperator nempe, Rex aut Princeps. γ) iudex et accusator in hoc Concilio erant rei, Protestantium scil. capitales hostes; at, ut hos inter, caussa decidatur, prohibetius Canonicum Can. III. Q. IV. c. quod suspecti sunt etc. Fabianus quoque asserit Can. IV. Q. IV. c. nullus etc. *neminem simui accusato-rem, iudicem et testem esse posse.* δ) Habitum fuit in Italia ad Athesin flumen, Rechenberg. in Isagog. sua ad Libr. Symb. part. I. cap. IV, §. VII. p. 21. non in Germania, loco consueto, contra iteratas nostrorum petitiones et decreta statuum Imperii An. 1524. 1526. 1529. 1541. 1542. 1543. 1544. Sed et Fabianus diserte docet Can. III. Q. VI. c. ibi, ultra, peregrina, leges, crimen etc. *ibicaus- sam agendum esse, ubi crimen commissum est.* ε) Nec Scriptura S. in hoc concilio fuit adhibita pro norma et regula, sed Patrum scripta, Ecclesiae traditiones, Conciliorum Canones et decisiones, immo sola uox Pontificis Rom. teste ipso Ioanne de Turre Cremata in Summa de Eccles. L. III. c. 64. add. Dudithi, Episcopi Quinque-Eccles. in Hungaria, orationes et Epist. collect. in unum uol. a D. Qui-rino Reutero an. 1610. nec non Turretinus, Theo-logus Geneuenf. l. c p. 172. cum tamen sola Scriptura S. sit controversiarum decidendarum iudex

et

et regula, quod ipsum perpendens Constantinus M. in medio Patrum Concilii Nicaeni biblia posuit, his eos affatus uerbis: *Euangelici et Apostolici libri et antiquiorum Prophetarum oracula plane instruunt nos de sensu Numinis.* Proinde hostili posita discordia, sumamus ex dictis diuini spiritus explicaciones quaestionum, uid. Theodoretus L. I. Hist. Eccl. cap. VII. Morem hunc obseruatum fuisse in aliis quoque conciliis, ut medios inter Patres, collocarentur biblia, testatur Augustinus in Epist. 163. et contra Maximum L. III. cap XXIV. et in Psalm. 95. Chrysostomus item Hom. XL. in cap. XXIV. Matth. Has nostros habuisse caussas, quo minus Tridentum ad Concilium uenire potuerint declarant uerba eorum, hunc in modum sonantia: *Huius Tridentinae Synodi, quam indixit Paullus III iudicium secuturos nos esse, nequaquam polliceri possumus, nosque perspicuae et uerae caussae excusant, persona iudicis, qui est inimicissimus caussae nostrae et forma iudicii, in quo nulla libertas est dicendae sententiae et in suffragium ibunt plures inde Eli et inimici nostrae doctrinae, et si qui meliores aderunt, deterriti saeuitia malorum, non audebunt dicere, quid sentiant.* Postremo et locus periculum nostris minatur, caetera. uid. libellus, sub tit. *caussae, cur non sit probanda Synodus Trident* prodiit an. 1545. et 1546. Francofurti, conscriptus a Philippo Melancth. in Conuentu Euang. unde et opp. eius interfertus P. IV. f. 772. add. Archiu. Reg. H. f. 612. n. 196. item, recusatio Statuum Euangel. an. 1546 apud Hortlederum Tom. I. L. I. c. 44. Hülsemannus in Manual. A. C. Disp. XIX. ad quæst. VIII. et IX p. 1278, 1281. seqq.

§. XLVII.

§. XLVII. Falſo afferit auctor, coeribus eiusmodi, qui in concilio uocari adſunt, Spiritum S. ſemper aſſistere; hinc quoque adſtitifle illum. Patribus iſtis colligit, qui ad concilium iſtud, Tridenti habitum, comparuere. Prius illud exploditur per id, quia certiſſimum eſt, concilia adeoque et Patres in hiſ congregatos, errare poſſe, ipſoque actu ea errasse, probant Concilium Ephesinum II. quod haeresi Eutychianam conſirmauit, teſte Bellarm. L. I. de concil. cap. 6. f. 10. tria concilia nationalia in Africa a Cypriano iuſtituta et conuocata, in quibus dogma de repaptizandis, qui ab haereticis baptizati eſſent, conſirmatum fuiffe, doceat August. L. III. de bapt. contra Donatistas, ut iam Synedrium illud ſileſio hac vice pateſtemus, quod Christum propterea, quod ſe filium Dei nominasset, morti adiudicauit Matth. XXVI. 65: conſ. Gerhardus l.c. L. I. part. II. cap. 2. f. 77. Posterius hoc, quo auctor tacite quaſi afſirmat, Spiritum S. hiſ quoque, qui Concilio Tridentino interfueret, adſtitifle: ipſe laudatus Dudithius, Episcopus, ut dictum, Quinque-Ecleſ. in Hungaria conuicat, hiſ uerbis: *Nil habuit cum illo conueniu Spiritus S. commercit, omnia erant humana conſilia, quae in immoda et ſane quam pudentia Pontificum tuenda dominatione conſumeban- tur.* Illinc reſponſa, tanquam Delphis aut Dodona expeſtabantur, illinc nimirum Spiritus ille S. quem ſuis conciliis praeceſſe iactant, tabellarii manticis in- cluſus mitiebatur, qui, quod admodum ridiculum eſt, cum aliquando, ut fit, aquae pluviis excrescebat,

82 DEFENSIO VITAE MISSIONIS ETC

*non ante aduolare poterat, quam innundationes deſe-  
dissent. Ita fiebat, ut Spiritus non ſuper aquas, ut eſt  
in Genesi, ſed ſecus aquas ferreveretur.* in Epift. ad  
Maximil. II. quam uide ſis apud D. Quirinum  
Reuterum l. c. et Magnificum Doct. Georgium  
Wittemb. in nupero eius Programm. de Spiritu  
Conc. Trid. p. VIII. Vnde factum, ut illud non  
probarent reges α) Angliae, Henricus VIII. Edu-  
ardus VI. β) Galliae, Franciscus II. Carolus IX.  
Henricus III. et IV. uid. Sleid. L. XXII. p. 7II.  
γ) Parlamentum Galliac, quin immo δ) et ipsi  
Pontificiorum ſcriptores, Arias Montanus, Sixtus  
Senensis, fatente Bellarm. L. I. de V. D. cap. VII.  
et recentiſſime Carolus Molinaeus in Conf. ſuper  
facto Concil. Trid. uid. Goldastus in Politica Im-  
perial. f. 1200. 1266. Quod illi certe non feciſ-  
ſent; ſi conuicti in animis ſuis fuiffent, de affiſten-  
tia Spiritus S. omnibus his communi, qui huic  
concilio interfuere.

VERBA AVCTORIS

Anno tandem 1546. Comites Mansfeldii Lu-  
therum Wittemberga Islebiā uocarunt, diſſidio-  
rum, quae inter iſpos erant componendorum  
cauſa -- Die Concordiae, quaerat 17. Februarii  
Lutherus Coenae affidens, totus facetus, uariis fa-  
cetiis affidentes exhilarabat. Inter alia de Dia-  
bolo Magistro ſuo, qui (ut uerbis eius, quae in  
Colloquiis Menſalibus germanice editis fol. 281.  
habentur, utar) frequentius ac propius ei condormie-  
bat, quam ſua Catharina, haec protulit. *Nos ſe-  
nes tamdiu uiuere oportet, donec in Diaboli podicem,*  
*eiusm-*

*etiusque genitalia oculos nostros coniiciamus.* Nec unum fuit hoc admirandum uaticinium, nam Lutherus post pauca de coena surgens et ex fenestra prospiciens, ecce inter plurimos teterimos spiritus hinc inde saltantes, et choreas agentes, uidet Lutherus unum in figura horribili supra craterem castri sedentem, ipsi podicem bene patulum cum reliquis sub aspectum subiicientem. Hanc praeclaram tantoque uate dignam uisionem Lutherus adhuc ipsa nocte non sine lacrymis narravit Iusto Iona et Michaëli Coelio, qui tum ibi aderant, quibus etiam decumbere uolens, DEVM eiusque Euangelium commendauit his uerbis: *Orate pro Domino DEO nostro, et eius Euangelio, ut ei cum Ecclesiae suae caufsa bene succedat, quia male, dictus Papa et Synodus Tridentina ei uehementer irascuntur.* Quibus dictis solita ualedictione quiuis ad suum recessit cubiculum. Lutherus uero post medium noctem 18. Februarii die Iouis Daemonibus (ut pie creditur) eum strangulantibus, exanimis est in lecto repertus. Ita citatus Eusebius part. 2. cap. 22. et alii haec omnia pluribus demonstrant. Die 19. eiusdem, qui erat ueneris, cadauer ultra modum foerens -- in primarium Oppidi templum D. Andrae sacrum, delatum, et in choro depositum fuit, omnibus interea oppidi campanis sonantibus, cruceque funeri praelata, omnibus studiosis cum crucibus comitantibus. In Ecclesia Iustus Ionas Ambonem consendit ac ibi quasi a furiis agitatus, Lutherum ita ad astra tulit, ut omnes dixerint, hanc non lugubrem sed tumultuantem fuisse orationem -- et sic ipsa adhuc

die comitantibus non solum hominibus, sed etiam innumerabilibus coruis circa sandapilam uolantibus et crocitantibus Halam Saxonum usque deductum fuit (funus nempe) - Doctores uero et Magistri aliam sandapilam paratam habebant, in qua cadauer Lutheri utpote Doctoris et Magistri sui ad Ecclesiam deferre uolebant, uerum ob intollerabilem (pro intolerabilem) foetorem (rigidissima hyeme) quem cadauer spirabat, non fuit permisum loco moueri et merito, ne foetor ille sanctus et Lipsana illa foetida alicui nocumentum adferrent. Tunc certe foeti di huius uatis foetidissimum oraculum impletum fuit, dum priuens dixit: *Adorabunt nostra sacerdota et pro missis seruabunt.* Ad Arcem tandem Ducalem quintus, hic Euangelista ad omnes sanctos, uel (ut uerbis eius utar) ad omnes Diabolos dicta, oratione a Melanchrone Latina, a Iusto Iona Germanica præhabita, penes sepulchrum Friderici Ducis tumulatus in præsens usque iacet. p. 23, 24, 25, 26, 27.

## DEFENSIO LV THERI

§. XLVIII. Auctor, ut probet, b. Lutherum nostrum, magistro Diabolo fuisse usum (quod conuictum supra ad §. XXI et XXIII. ab eo removimus) prouocat ad colloquia eius mensalia. Sed ostendimus iam §. XLIII. horum colloquiorum auctorem Lutherum non fuisse, neque igitur id quod Auctor ex his probare uult, fidem apud nos inueniet. Pulcre, ut omnia, b. Frid. Balduinus nostras, *de colloquiis, inquit, mensalibus Lutheri, sciendum est in genere, quod illorum auctoritas (quam*

quam multa bona continant) nos non obliget. Illa enim colloquia Lutherus nec edidit, nec edi uoluit, nec ipso uiuente, edita sunt, multaque continent liberius dicta, ut inter prandendum et comedendum sit; ex quibus nihil firmiter concludi potest l. c. L III. cap. XXVIII. p. 262. Ipse Lütherus alibi fassus est, non omnia ea pro DEI uerbo agnoscenda esse et accipienda, quae ille fortasse ad mensam, hilario-ribus, ut sit, deditus, coram protulisset, in St. Augustini (uerba sunt ipsius) Büchern findet man viel Sprüche, die Fleisch und Blut geredet hat, und ich muß auch von mir bekennen, daß ich viel Wort rede, welche nicht Gottes Wort sind, (id enim homini in hac uita factu est impossibile) wenn ich rede außerhalb des Predigtamts daheim über Tisch, oder sonst. in Haß: Postill. Part. II. f. 34. über das Evangelium am Sonntage Jubilate. Hoc secum reputans Pistorius homo iterum Pontificius et iuratus Lutheri hostis, abstinuit sponte ab allegatione horum colloquiorum, quoties aliquid scripsisset aduersus Lutherum, quemadmodum id fatetur in Anatomia Luth. part. III. aroara 3. Quam optassemus nos quoque, si huius uestigis institisset Auctor noster!

§. XLIX. Verba Lutheri, quibus ille fassus est, frequentius condormiuisse secum Diabolum, quam Catharinam uxorem suam, quandoquidem in colloquiis eius duntaxat mensalibus legantur; nos hac uice silentio praeterire possemus iure ac merito, cum nihil ex his firmiter concludi possit, excipe in iis, quae per se uera et historiae scriptorum caeuorum illius aetatis, (qua illa com-

posita fuere) consentanea sunt. Eo sensu et nos quandoque ea allegauimus, non ut auctoritatem illorum stabiliremus, sed ut demonstrassemus duntaxat Auctori nostro, quam relatio eius de uita Lutheri, uel leui colloquiorum istorum testimonio refutari interdum *κατ' αὐθεωπον* possit. Sed e diuerticulo ad rem. Lutherus his uerbis (si modo illius sunt) nihil aliud innuere uoluit, quam hoc; saepius ei diabolum, et maiorem quidem dolorem ac tristitiam conciliasse, quam Catharinam, uxorem suam, laetitiam: at hoc nihil admirationis in nobis parere debet, qui sci mus, eadem fata et Iobum, hominem caetera pium, mansisse, quem interea nullus, et ne Auctor ipse, sine graui scelere, dixerit, magistro diabolo fuisse usum. Ita Müllerus l. c. p. 490. seqq. Posteriora, quod attinet, Lutheri uerba, *nos senes tamdiu uiuere oportet* cet. ex iisdem colloquiis mensalibus (quorum auctoritatem toties iam respuimus) deponita, proverbialiter, pro more illius aetatis, a Luthero dicta sunt, hocque tantum innuunt, homines pios, quo diutius illi uixerint, semper plura mala experiri debere. uid. Seckendorf. l. c. L. III. f. 639. b.)

§. L. Spectrum illud, quod fertur nostro apparuisse proxime ante eius obitum, longe aliter describitur a Michael Coelio in Conc. eius funebri, Tom. VIII. Alt. f. 860. quam ab Auctore nostro. Turpissimos illos actus, quos Auctor commemorat, nescio cuius testimonio suffultus, laudatus Coelius reticer, tantumque istius mentionem facit, quod Luthero, per fenestram inspiciente

ciente, Diabolus, ore diducto illuserit, fortasse propterea, quod frustra de concordia inter comites hosce laborasset Seckendorf. l. c. f. 639. b) Cui nota est ex sacris litteris tentatio Christi a Sathanā Matth. IV, 1. seqq. descripta, is nequaquam mirabitur, talia nostro euenire potuisse, nec eum propterea habuerit pro homine impio, alias et de Christo id ei subsumendum esset.

§. LI. Verba Lutheri : *orate pro Domino DEO nostro* cert. apud Iustum Ionam sic leguntur : *orate pro DEO nostro, ut illi caussa Ecclesiae suac bene succedat, concilium enim Tridentinum uebementer iratum est.* In Epist. ad Fridericum Elect. Sax. apud Seckendorf. l. c. f. 636. a. et apud M. Michaelem Coelium hoc modo : *Betet für unserm Herrn Gott, daß ihm wohlgehe mit seiner Sache, und mit heiligem Evangelio, denn die zu Trident in Concilio meynens nicht gut mit ihm.* in orat. funebr. apud Magnif. Hofmann d.l. p. 150. Hoc ideo adduco, ut benevolus Lector intelligat, quam Auctor noster, uel breuissima ista Lutheri uerba, absque imminutione uel additione quādam, referre non potuerit, uel, quod uerisimilius forte est, referre ea noluerit.

§. LII. Quando Auctor asserit, tum, cum Lutherus animam suam DEO reddidisset, neminem praesto fuisse ex iis, qui ipsi ministrabant, item pie credi, Lutherum interea, in absentia aliorum, fuisse a daemonibus strangulatum; ita quidem contradicit omni historiae de obitu Lutheri, namque omnes, quotquot historiam de morte Lutheri conscripsere, coaeui scriptores testantur I)

## 88 DEFENSIO VITAE MISSIONIS ETC

eo tempore, quo Lutherus animam suam DEO commendauit, adfuisse plurimos, Albertum nempe, Comitem Mansfeldiae cum uxore sua, D. Iustum Ionam, Michaelm Coelium, Ioannem Auriabrum Vinariensem, Ioannem Martinum et Paullum, filios Lutheri, alios certe, ira, ut b. Matthesius confidenter scribat. Dies geschah in Beyseyn vieler Grafen, Herren, Doctorn und seiner Kinder und anderer guter Leut. Serm. XIV. p. 459. add. si placet, Philippus Melanchthon apud Matth. Dresserum in Hist. Luth. n. VI. Coelius in orat. funebr. cit. II) pie ipsum et absque ullis cruciatibus uel angoribus hinc migrasse, qua de re sic denuo scribit Matthesius: Darauf schläft er im Mahnen Jesu Christi ohne Qualung des Leibes ein, still und in grosser Gedult am 18. Tag Februarii frühe um drey, welches der Tag Concordiae war, und erkaltet. l. c. p. 454. et 459. Wolfgangus Anhaltinus, qui tum praefens erat, sic: und ist ganz sanft mit Sprüchen entschlafsen in Gott. Der Herr halte uns mit Gnaden hernach. Amen! in Epist. ad Fridericum Elect. Torgauia dat, apud Seckendorf. l. c. f. 646. a) Philippus Melanchthon, inter nota, inquit, anima eius (Lutheri) ex mortali corpore placide euocata est, cum iam ageret annum sexagesimum tertium, in tract. de uita et actis Luth. p. 19. Agmen reliquorum claudat Sleidanus, Historicus Caeſaræanus, uerbis certissimis plane ac uerissimis: non multo post eam precationem, ubi spiritum suum in manus DEI semel et iterum commendasset, tanquam dormiturus, paullatim e uita decedit, nullo cum corporis, qui

qui quidem animaduersti posset, cruciatu. L. XVI.  
p. 488. Testimonium Eusebii et aliorum, ad quos  
le auctor prouocat, nihil facimus, cum non desint  
uel ex ipsis Pontificiis alii, qui perhibeant, testi-  
monio Eusebii istius, contraria, immo adeo sen-  
tentiae horum de obitu Lutheri uariant, ut nescias  
plane, cui fides habenda potius sit, aliis quippe, (ut  
uerba Magnif. Weickmanni Academiae Wit-  
temb. Doctoris et Profess. Theol. undiquaque ce-  
lebratissimi cuius conatus DEVS ultro adhuc  
fauere uelit! mea hac uice faciam) cedit Lutherus  
animo furisque agitatus, collum inserit in laqueum,  
aliis a qua daemone a terra abstrahitur, aliis, sine omni  
religionis sensu, repentina tollatur morte, et facetia-  
rum plenus, nec dum exhalata crapula, animam ef-  
flat, non secus atque olim malae homo mentis, Arius,  
abisse ad inferos fertur, Lutheri cineribus sic paren-  
tante Costero :

infelix ex alio animam diffundit Arius,  
bunc sequeris nimio, uane Luthere, mero.

in sermon. Panegyr. de Concilio Tridentino ex  
morte Lutheri ante uictoriam triumphante. p. 13.

§. LIII. Illud miror sane in Auctorenostro,  
quod is exaggeret foetorem, quem demortui Lu-  
theri corpus ex se, die statim sequente exhibuisse,  
iphi quidem soli creditur. Nam, ut taceam illud,  
nihil de foedore eiusmodi apud scriptores caenos,  
et eos quidem fide dignissimos, inneniri; Aucto-  
rem ipsum interrogabo, ut mihi respondeat pro  
conscientia sua, num foetor eiusmodi, quem cor-  
pus hominis culuspam ex se promit, num, in-  
quam, foetor eiusmodi mereatur reprehensio-

90 DEFENSIO VITAE MISSIONIS ETC

nem aliorum? Mea quidem sententia ego illum, qui ad quaestione propositam affirmando, respondere uellet, ne pro homine agnoscerem quandoquidem, istud affirmando, talia in corpore de nati cuiuspiam hominis reprehenderet, quae ab isto plane sciungi non possunt, nisi uel ope artis, uel beneficio naturae ipsius, his occurratur.

§. LIV. Nec illud unquam ex scriptoribus caeuis probabitur ab Auctore, funus istud concordatos fuisse studiosos cum crucibus. Silet de isto Matthesius, fide dignissimus scriptor Serm. XIV. in quo tamen data opera, apparatum huius funeris, describit. Verba Iusti Ionae. M. Coelii et Aurifabri Tom. VIII. Alt. f. 851. seqq. consignata, ex latina uersione b. M. Balthas. Mentzii in Syn tagmate eius Epitaph. Wittemb L. I. p. 76. seqq. haec sunt; *Cum Wittembergam ad pontem ab Elifira fluvio denominatum peruererunt, repererunt congregatos ex mandato Principis Electoris Ioh. Friederici, Dn. Rectorem, Doctores, Magistros, et omnem Vniuersitatis coetum cum senatu et toto populo. Continuo processerunt Euangelii ministri cum scholasticis, usitato ritu et ceremoniis, Christianas cantilenas per totam illam viam, usque ad templum arcis praecinctus. Nihil in his de crucibus istis legas, merito igitur et hoc intra commenta Auctoris retuleris.*

§. LV. Sine cauſa quoque reprehendit Auctor sermonem Iusti Ionae, habitum ab ipso Islebiae adhuc, in honorem b. nostri Lutheri; in hoc ille promeritas duntaxat laudes nostri exponit, quod testabuntur omnes illi, quos non pigebit illum semel atque iterum peruoluere. Auditores Iona-

nae,

nae, tantum abest, ut hoc censuerint de sermone isto, quod Auctor afferit, tumultuantem cum, non lugubrem fuisse; ut agnouerint potius ea, quae ille de nostro dicebat, merissima esse, et DEO gratias egerint, pro excitato ipsis tali, ac tam singularibus Sp. S. donis instructo viro. Qui acta de obitu Lutheri legerit, uel ipse testimonium nobis dabit, de ueritate relationis huius, a nobis factae.

§. LVI. De coruis illis, quos Auctor perhibet, circa tumbam nostri apparuisse uolitantes et crocitantes, primus memoriae prodidit Bredenbachius coll. Sacr. I. VII. cap. 39. homo nullius fidei, cui uel ideo, benevolus Lector, assensum suum praebere recusat, quod consiliarium istum, a quo se talia accepisse iactat, quis ille porro fuerit, non nominauerit, fortasse propterea, quod (ut recte obseruat Magnif. D. Hofmannus, decus illud et ornamentum Academiae Wittembergensis, quem DEVS longa annorum serie, omnique felicitatis genere donet) idem ille consiliarius neque extiterit, unquam, neque altius a Loiolita (Bredenbachio scil. ipso) fuerit, in tract. passim iam a nobis, propter praelantiam et elegantiam suam citato, §. VIII. p. 17.

§. LVII. Utrum Doctores et Magistri ad baiulandam tumbam Lutheri ordinati, propterea officio suo defungere non potuerint, quod demorari Lutheri corpus intolerabilem adeo (ut Auctor loquitur) foetorem ex se daret, in eo inuestigando tantopere non immorabimur. Sufficit nos iam ostendisse ad §. LIII. falso talia de b. Lutheri nostri exuuiis dici, aliunde quoque nobis

92 DEFENSIO VITAE MISSIONIS ETC

bis constat, magistros hosce, (non autem Doctores ipsos, ut Auctor asserit) ordinatos quidem esse, uerum non ad baiulandam tumbam Lutheri a pontae portae Elistrinae proximo, usque ad templum, arci Wittemberg. contiguum, (iam enim supra ad §. LIV. audiuimus ex digna relatione trium istorum virorum Iusti Ionae, M. Coelii et Aurifabri continuo fuisse itum a ponte isto; ubi eum ii, qui Lutheri cineres comitabantur, superrassent) sed ad demittendam eam duntaxat in sepulchrum, in quo illa, humo super injecto, recondenda, pro more, erat. uid. Mentzius l. c. D. Hofmann: l. c. §. XXXVI. p. 58.

§. LVIII. Quando porro asserit Auctor, nos stercora (ignoscat mihi talia repetenti benevolus Lector) Lutheri adorare, ita manifestam nobis omnibus, qui Lutheri doctrinam profitemur, iniuriam infert. Quae enim nostra de Luthero sit confessio, audiat Auctor ex b. Gerhardo, Theologo nostrate, quando ille, hac de re (nomine nostrum) sic loquitur; *Confessio nostra non nititur Lutheri persona vel doctrina, sed immoto DEI uerbo*. Non tribuimus Lutherò Propheticam et Apostolicam auctoritatem, nec absolutam infallibilitatem, nec scripta eius Propheticis et Apostolicis scriptis exaequamus, nec sine probatione ex DEI uerbo ipsi aliquid afferenti credimus, sed habemus eum pro insigni Ecclesiae Doctore, quem Deus extremis hisce temporibus, Ecclesiae, Papali iugo pressae, excitauit, ac singularibus donis eximioque animi robore instruxit, ut corruptelas et abusus, pura Euangelii praedicatione, tolleret, et ueritatem, errorum tenebris fere obrum,

*tam, in lucem reuocaret,* d.l. L.I. P.I. cap. VI. f. 58. Pudeat Auctorem mendacii! Dudum iam nos didicimus ex uerbo DEI scripto, quem inuocare et adorare debeamus. Solum nempe DEVUM adoramus et inuocamus cultu religioso; Lutherum pro seruo DEI agnoscimus; quem quod DEVVS illustribus adeo donis Sp. S. exornaverit, ac illius opera, nos, e regno Papali, liberavit, est, quod ipsi soli in acceptis referamus.

§. LIX. Verba Lutheri, *ad omnes Diabulos etc. non ad sanctos omnes, sed ad canonicos idololatrias, sanctorum reliquias memoriamque superstitione colentes, et si iterum iterumque moniti ac confutati essent, referri ac exponi debere*, optime iudicat, laudatus iam antea D. Hofmannus nostras l.c. §. XI. p. 23. Tum quidem, templum istud, iure dici potuit, omnium Diabolorum, cum adhuc misificatores isti, cultu superstitione ac idololatrico, sanctos suos factios, coercent et inuocarent, nunc, posteaquam idololatria haec et superstitione Papistica ex eo eliminata ac proiecta est, non amplius, hoc nomine, uenire ac insigniri potest; cum ipsa domus DEI sit, quam DEVVS per totum terrarum orbem reddidit celebratissimam clarissimam, voluitque hanc, aedem esse Ecclesiam matrem, cui omnes aliae Ecclesiae, ab Euangelio denominatae, ut filiae, originem suamque nativitatem deberent prout recte asserit toties iam nominatus Hofmannus noster d. l.

§. LX. Nec illud reticendum tandem est, Auctorem errare, dum asserit in uerbis suis ultimis Iustum Ionam parentasse nostro Germanice in

in templo, quod arcis, ut dictum, Wittembergensi est contiguum: cum dubio omni careat, hoc ultimum officii genus declarasse et exhibuisse nostro D. Bugenhagium, a patria Pomeranum quoque dictum, uid. Tom. XII. Luth. Witremb. f. 465. Tom. VIII. Alt. f. 863. Tom. XXI. Lips. f. 715. add. Matthef. Serm. XIV. p. 461.

§. LXI. Tantum de vita Lutheri; caetera, quae adducit Auctor, tribus ultimis capitibus, unica nos quaestione proponemus, Lectorem benevolum rogantes, ut is nobis ignorare uelit, quod uerba Auctoris, more nostro, non amplius oculis ipsius subiicere possimus, propter angustiam nempe temporis et chartarum. Dabimus et hic operam, ne desiderio is suo (sicut haecenius a nobis id diligenter obseruatum fuit) excidat. Nimirum, ut res omnis clarior euadat, iuuabit primo mentem Auctoris audisse, tum demum ad quaestionem ipsam nos conuertemus. Auctoris mentem quod attinet, sciendum est, illum totum, tribus hisce ultimis capitibus, in eo occupari, ut ostendat, Lutherum non fuisse Euangelistam, diuinitus et extraordinarie ad reformatam Christi Ecclesiam missum p. 49-55. quod ipsum duobus potissimum argumentis infringere studet, horum alterum desumit inde, quia Lutherus facere nulla miracula potuerit, licet uoluerit omnino, in curanda quadam puella Misnenfi, et in resuscitando Wilhelmo Neffeno. p. 55-67. alterum inde, quia contraria docuerit Euangelio Christi p. 67. usque ad finem. Sit ergo haec nostra quaestio;

Vtrum

*Virum Lutherus fuerit Euangelista diuinitus et  
extraordinarie ad reformandam Christi  
Ecclesiam missus?*

## STATVS CONTROVERSIAE

§. LXII. Vocatio distingui debet, in ordinariam et extraordinariam, sive mediatam et immediatam. De priori illa, non autem de posteriori nobis sermo in Thesi erit, neque enim docuit unquam Lutherus uel nos ipsi, Lutherum habuisse uocationem extraordinariam uel immediatam, ut Ecclesiam Christi restaurasset; docuimus uero semper, et hucdum adhuc docemus, ordinariam ei et mediataam uocationem obtigisse. Audiat Auctor Lutherum ipsum, si nobis fidem, hac in parte, habere noluerit, expressis ille uerbis scribit Tom. IV. Ieneni. Lat. f. 522. b) *Sic nos quotidie possemus labi, sed ministerio seu uerbo nihil derogatur, per pecuniam nostrum: quanquam, nostra uocatio, nescio, an cum illorum (Moysis nempe Dauidis et aliorum) uocatione possit conferri* add. colloq. mens. f. 101. edit. Lipl. Negat in his Lutherus sibi tales uocationem obtigisse; qualis obtigit Moysi, Dauidi, aut aliis Prophetis, quo ipso aperte confitetur, extraordinariam se aut immediatam uocationem non habuisse. Audiat porro Heumannum, Theologum nostratem, hucdum cum applauisu apud Göttingenses docente, de uocatione item b. Lutheri nostri, hunc in modum differentem; agnoscimus, ei (Luthero) non tales contingisse ad docendum uocationem, quatis Moysi conuigit, qualis Paullo caeterisque Apostolis, nec tales, qualis Timotheo,

motheo, Tito aliisque Doctoribus, quos Paullus quosque ueri nominis Ecclesiae iussit Euangelicam tradere tutarique doctrinam. Paucis, ut dicam, externam (extraordinariam uel immediatam alio uocabulo dixisset) uocationem non habuit, specialem non habuit, sed habuit internam habuist generalem (ordinariam eam nos ac mediatauocamus) habuit talem, qualem habuerunt Apostoli ad Euangelicam doctrinam litteris mandandam, in Diff. de Lutheri uocatione diuina quam uide sis in Lutherio eius Apocalyptico P. II. § IX. p. 146. seqq Ita intellexit ex his Auctor, quae nostratum de uocatione Lutheri, sit sententia: infra ergo, quando a nobis accusabitur ignorantiae ελεγχοι; id cum non uelim habeat male.

§. LXIII. Vox Euangelistae duplici sensu in Scriptura S. sumitur, lato et stricto. Sensu stricto quatuor tantum sunt Euangelistae, Matthaeus, Marcus, Lucas et Ioannes, qui non modo Euangelium et doctrinam de Christo, sed et historiam eius conscripsere. Lato sensu et ii dici possunt Euangelistae, qui doctrinam modo de Christo profitentur aliisque annuntiant, omittunt interea historiam ipsam Eph. IV. 11. quomodo Philippus Act. XXI. 8. et Timotheus ipse 2. Tim. IV 5. Euangelistae dicuntur, non differt id ipso Estio, homine Pontificio, in Com. ad h. l. Et hoc sensu Lutheruni nostrum, quoque se nominasse Euangelistam, probant loca, quae reperiuntur. T. II. Ienens. Germ. f. 70. et 106. quod et iure optimo, facere potuit. Balduinus l. c. L. III. cap. 57. p. 445.

THESES

## THÈSIS

§. LXIV. Fuit Lutherus Euangelista, ad reformandam Christi Ecclesiam missus non extraordinarie et immediate, sed mediate et ordinarie.

## PROB. THÈS.

§. LXV. Thesis haec probatur argumentis supra a nobis ad statimi Controv. allatis. Hac vice obseruabit Lector, id ipsum porro, quod Lutherus ordinarie et mediate a Deo fuerit missus et uocatus ad reformandam Christi Ecclesiam, uel hinc quoque, luce nieridiana clarius, probari posse, quia nim. certum est, triplicem ipsi uocationem obtigisse, Ecclesiasticam nempe An. 1507. Academicam An. 1508. et denique Doctoralem An. 1512. uid. T. IX. Wittemb. f. 103. Matthies. Serm. I. p. 17. 18. Baldvinius l. c. L. III. cap. XII. et XIII. Hollažius in Syst. Theol. Aeroatn. p. 1341.

## ANTITHESIS

§. LXVI. Obiicit Auctor noster I) nulla tamen Lutherum miracula facere potuisse, quamuis facere ea uoluerit omnino, in α) depellendo daemone a puella quadam Misnerisi β) in resuscitando a mortuis Wilhelmo Nefeno p. 55 - 58. Facere uero ea potuisset, si fuisset Euangelista, immediate a DEO et extraordinarie ad reformandam Christi Ecclesiam missus p. 51 - 55. Syllogismus forte talis esset; *Quicunque nulla miracula facere potuit; ille non fuit Euangelista, immediate a*

G

Deo

*Deo et extraordinarie ad reformatum Christi Ecclesiam missus. Lutherus nulla miracula facere potuit.* E. Reg. I) Disputat Auctor extra Statum Controversiae II) ueram relationem de puella Misnensi, supra ad §. XLV. audiuimus; de Wilhelmō isto Nesseno, in albi prope Wittembergam An. 1524. submerso, sequentia pauca, ea tamen uerissima, notabit Lector beniuolus. Postea quād Lutherū nostro nuntiatum fuisse, de tristi abitu ex hac uita Wilhelmi istius Nesseni, statim ille, ex amore, quo erga illum, sicut et cæteri uiri docti omnes, ducebatur, ad Albīm properauit, in cuius litore, dum examine corpus Nesseni uidisset, in coelum cum lacrymis suspiciens, dixit; *o Nessene, si mihi datum esset donum miraculosum excitandi mortuos, si illum unquam excitatassem, te nunc excitarem!* Testatur id, praeter ipsum Lutherum L. II. Epist. p. 220. et Camerarium in uita Philippi p. 98. 99. Abrahamus Bucholeerus in Indice Chronol. p. 513. qui et fatetur, se talia accepisse a patre suo, qui tum præsens fuit, ubi Lutherus haec herba protulisset. *Stultus fit.* (iudice ipso Bellarmino L. III, de Eccles. cap. XIV. §. respondebimus) *qui credere potius absentibus, quam iis, qui interfuerunt, tali in casu, maluerit!* III) Ioannes Baptista uerus propterea doctor fuit, licet de eo quoque scriptura dicat ὅτι Ιωαννης μεν σημεῖον εποιεῖται οὐδὲν nulla ipsum signa aut miracula fecisse Ioh. X 41. Exceptiones hic Auctoris, parum curamus, cum ea omnia, quibus Ioannem Baptistam excusare studeat,

det, et de ipso Lutheru nostro uerissime subsumi possint. Dicit nim. Auctor  $\alpha$ ) DEV M, licet nulla omnino miracula per Ioannem Baptistam, in ipso tamen edidisse p. 63.  $\beta$ ) expresse de eo legi Ioh. 1. 6. fuisse eum a Deo missum, cum interea de nostro nulla et ne tacita quidem, ut ipse uocat, in Scriptura S. mentio fiat p. 64.  $\gamma$ ) uita eum denique sua ostendisse, quod a Deo fuerit missus, quod denuo nostrum non fecisse, probar Auctor inde, quia impiam egisset uitam p. ead. Eadem ego et de nostro, iure optimo, subsumere possum, nam  $\alpha$ ) si aduersarios, si pericula, si denique felicem incepiae reformationis successum, mecum una quis perpendere uoluerit, agnoscet merito, quam multa Deus optimus, Maximus, in tuendo ac iuuando Lutheru nostro, prouidentiae suae signa atque indicia ediderit? Inde est, quod Petrus Mosellanus in Epist. sua An. 1519. de colloq. Lips. scribat; *hanc facile credas hominem, tam ardua sine Numine Ditum moliri!* Bellarminus quoque admirabundus exclamat; *Quis ignorat pestem* (sic per contemnum uocat doctrinam nostram) *Lutheranam in Saxonia paullo post exortam, mox Germaniam pene totam occupasse, inde ad aquilonem et orientem profectam, Daniam, Noruegiam, Sueciam, Gotiam, Pannoniam, Hungariam absunfisse, tum occidentem et meridiem pari celeritate delatam et Galliam, Angliam, Scotiam, florentissima quondam regna, breui tempore populatam, ad extremum Alpes transcendisse et in Italiam usque penetrass? in Praef. primo Tomo Controu. suar. praemissa, §.*

## 100 DEFENSIO VITAE MISSIONIS ETC

atque utinam etc. **3)** Tacitam quoque siue implicitam mentionem in Script. S. de nostro fieri, probant loca seqq. Dan. VIII. 25. cap. XII. 44. 2. Thess. II. 3-8. Apoc. XIV. 6. 7. cap. XVIII. 1. seqq. conf. Wernsdorfius in Diff. de primordiis emendatae per Lutherum religionis Thes. I. §. IX. p. 9. Gerhardus d. I. L I. P. I. cap. V. f. 15. 16. Explicita illius mentio in S. Scriptura necessaria non erat, ex qua, si quid validi concludi posset, de Francisci quoque Xauerii nec non Ignatii Loiolae uocatione, nobis et ipsis Pontificiis, dubitandum esset, cum et horum explicita in S. Scriptura mentio non fiat, missionarium horum alterum futurum; alterum auctorem et inuentorem ordinis Esauitici; Iesuitici dicere uolebam. **4)** Quando Author b. Lutheri nostri uitam improbat; ita uel ipsis Ethnicis et hostibus Lutheri, deteriorem se exhibet, iudice ipso Erasmo Epist. 317. col. 322. edit. Clerici, ubi inter alia sic de nostro scribit, nam id non leue praetudicum est, tantam esse (in Lutheru nempe) morum integratatem, ut nec hostes reperiant, quod columnentur. Iterum in Epist. ad Fride-  
ricum Elef. Certe, inquit, uitam hominis (Lutheri) nemo, qui nouit, non probat; quae cum longissime absit ab omni suspicione quaritiae atque ambitionis, et morum innocentia, uel apud ethicos fauorem inuenit. In eadem Epistola nostrum, uirum quoque probum nominat; in Epist. uero ad Archi-  
Episcop. Mogunt. Cardinal. L. XII. Ep. p. 421. dicit; Si illi fauorem, ut uiro bono, quod farentur et hostes, quae esset inuidia? IV) Potestas miracula,  
puta-

putatitia illa quidem, non uera, ut Auctor quoque afferit p. 65. faciendi, ultimis his potissimum et nouissimis temporibus, nota est Anti-Christi ipsius, cuiusmodi Papam esse, probant loca Script. S. seqq. Matth. XXIV. 24. 2 Thes. II. 1. 2. 3. Apoc. XIX. 15. 20. cap. XIII. tot. nec diffiteri possunt, praeter Irenaeum, Gregorium, Arnulphum et Bernhardum Patres, Eberhardus Salisburgenf. quondam Archi-Episccp. Ioachimus Calaber Abbas, Franciscus Petrarcha, Marsilius Michaël Cesenas, Hieronym. Sauanorola, Flentinus, Nicōlaus, Thomas Rhidonius, Laurentius Valla, alii etc. quorum uerba uide sis apud Steph. Szegedinum Hung. l. c. p. 27. seqq. et Gerhardum l. c. L. II. Art. III. cap. VI. p. 596. seqq. uel ob id ipsum igitur b. noſter Lutherus, ut uerus doctor, agnoscendus, quod nulla ediderit miracula; notam facile, hoc modo, Anti-Christi, sibi attracturus. V) Satis hoc magnum miraculum est, quod, ad eius doctrinam, tam multæ hominum myriades, fuerint conuersæ et ad agnitio- nem ueritatis perductæ. Quæ porro conuitia in hanc euomit Auctor (iure sic scribere debo, legat ea cordatus Lector p. 66. et non mirabitur, me arduo iſto uocabulo fuisse usum) haud uero ea suffulta esse talo et fundamento; agnoscunt singuli, quotquot libros Ecclesiae nostræ Symbolicos legerint. Praeter has cauſas, plures adhuc et eas quidem firmiores ac magis stringentes allegare potuiffemus: at his studio, uis sumus, quod eas Auctor refutet, unde et nostri officii

G 3

erat,

erat, has, recensendo ueluti ac defendendo, firmiores reddere.

§. LXVII. Obiicit II. et ultimo Auctor, uel hinc adparere, Lutherum non fuisse Euangelistam, immediate a DEO et extraordinarie ad reformatam Christi Ecclesiam missum, quod contraria docuerit Euangeliu Christi p. 67 - 73. In forma sic fuisset argumentatus; *Quicunque contraria docuit Christi Euangeliu; ille non fuit Euangelista, immediate a DEO et extraordinarie ad reformatam Christi Ecclesiam missus.* Lutherus contraria docuit Coristi Euangeliu. E. Reg. Disputat Auctor denuo extra statum Controversiae II) Facile haec quidem ab Auctore dicuntur; sed difficile admodum probari possunt. Certe loca omnia, quotquot Auctor ex scriptis b. Lutheri nostri adducit, contraria dictis Scripturae S. adeoque ipsi Euangeliu Christi non sunt, si modo ea, quemadmodum iustum et aequum est, debito modo explicentur. *Verba* siquidem num I) Auct. p. 68. a) *priora*, conueniunt cum dictis Script. S. seqq. Gen. XV. 6. Heb. II. 4. Iof III. 15. 18. 36. Act. XVI. 30. cap. XXVI. 18. Rom. III. 21. 24. 25. 26. 28. cap. IV. 3-6. 13. 16. cap V. 1. 19. cap. X. 9. 10. cap. XI. 6. Gal. II. 16. cap. III. 6-15. 22. 26. cap. V. 4-7. Eph. II. 8. Philip. III. 7-11. Tit. III. 5. 6. 7. Hebr. X. 38. cap. XI. 6. Iac. II. 23. 1. Petr. I. 9. Apoc. XII. 11. 3) *posteriora* cum Rom. V. 20. cap. VII. 14-24. 1. Ioh. I. 1. 8. 9. 10. intelligenda uero sunt, non simpliciter, quasi nim. Lutherus uel mandasset Melanchtoni, ut, data opera, pectet;

cet; uel adprobasset peccatum fornicationis et adulterii; sed hunc in modum, fieri scil. in hac uita aliter non posse, quam ut pii peccent; quomodounque licet ii ab isto sibi temperauerint. num. II) p. ead. cum Rom. V. 1. cap. VIII. 1. 2. 3. 31. 33. 34. seqq. Gal. III. 13. 1. Tim. I. 9. num. III) p. 69. dixit noster ad Pontifices, Cardinales et Episcopos sui temporis, qui iura Imperatoris ad se pertrahere uolebant, contra Matth. XX. 25. 26. cap. XXVI. 51. 52. quare suadet in his Lutherus noster omnibus Imperantibus, Regibus, Principibus, aliis etc. ne id sibi cripri finant, tametsi ferro etiam, si alio modo res transfigi cum Rom. Pontifice non posset, ipsis fore dimicandum. uid. T. I. opp. Ienens. Lat. f. 68. b) num. IV. p. ead. cum Act. XIII. 39. cap. XV. 10. Rom. III, 20. cap. IV. 13. cap. VII. 14. 15. cap. VIII. 7. 8. Gal. III 11. cap. V 4-7. lac. II. 10. num. V. p. 70. cum Matth. XVIII. 18. Ioh. XX. 23. 2. Cor. X. 8. cap. XI. 5. cap. XII. 11. num. VI. p. ead. cum Gal. II. 4. cap. V. 1. Col. II. 14-20. et exponenda sunt de traditionibus Papicolarum, quibus prohibet, ut aggrauentur Christiani et ii quidem pii; quos, iure optimo, ab his liberos esse pronuntiat uid. T. II. Opp. Lat. Ienens. Lat. f. 274. a) num. VII, p. 71. cum Matth. XX. 25. 26. cap. XXVI. 52. explicandaque sunt de rebus ciuilibus, quibus, ut immisceant se Ecclesiasticae personae, prohibet h. l. num. VIII. p. ead. cum 1. Tim. IV. 1. 2. 3. Matth. XIX. 11. 12. num. IX. p. 72. cum dictis num. IV. num. X. p. ead. cum Matth. V. 16.

Luc,

Luc. XVII. 10. Rom. III. 28. Gal. II. 16. cap. III.  
 10. seqq. exponenda denuo de operibus bonis,  
 non simpliciter; sed si fiant sub opinione meriti.  
 num. XI, p. 73 cum 1. Ioh. 1, 7 cap. II, 1. 2. num.  
 XII, denique p 74 cum Matth. XXVI. 26. seqq.  
 Marc. XIV. 22. seqq. Luc. XXII. 19. seqq. 1. Cor.  
 XI. 23. 24. 25. 26. 27. 28. coll. cap. X. 16.

## CONCLVSIO

Atque ita, Dei gratia, absoluissimus opus nostrum;  
 utrum enim absoluuerimus illud, debito et conuenienti  
 modo, penes eruditum id et beneuolum Lectorem relin-  
 quo: DEVVM Opt. Max. precatus, ut is Auctori nostro  
 non modo, quam omnibus illis etiam, qui a partibus  
 huius fiant, uiam pandat, per crebram libelli istius le-  
 ctionem ac repetitionem, ad agnitionem ueritatis, ad-  
 ficitam Ecclesiam Hungaricam potenter, sicut hactenus,  
 ita et in posterum quoque, contra insultus eius modi ho-  
 stium ac aduersariorum suorum, protegat; ipsi clement-  
 tissimae Reginae Hungariae, caeterisque omnibus, qui  
 ad gubernacula incliti istius Regni admoti, sunt ac  
 cum laude praefident, animum eum indere uelit, ut, his  
 in pace uiuentibus ac florentibus, illis quoque pax, ro-  
 ties iam frustra optata ac desiderata, redeat, qui, int-  
 uarietatae Augustanae Confessioni addicti, pro salute  
 Reginae ac Regni, nunquam non uota fundunt, pacem  
 optant, eam diligunt, ac in ea quoque uiuere, pro ma-  
 ximo suae felicitatis ducunt ornamento. O DEVS,  
 DEV斯 noster, efficias id, propter Filium TVVM,  
 Dominum nostrum Iesum Christum, cui porro sit glo-  
 r ia, laus, honor, uirtus et potentia, in nunquam  
 terminanda secula, Amen.



Errores Typographicos B. L. hac ratione emen-  
dabit, ponet nim.

Pag. 6. lin. 28. loco audiamus, audiemus.

- p. 7. l. 10. - unicum, unicam.  
p. 8. l. 21. - omes, omnes.  
p. 15. l. 13. - petita, pedita.  
p. 16. l. 25. - adolescentia, adolescentiae.  
p. 21. l. 30. - uidetur, ridetur.  
p. 23. l. 27. - uoluisse, noluisse.  
p. 24. l. 5. - imittere, amittere.  
p. 27. l. 4. - accusari, accusari.  
p. 28. l. 25. - ax, ex.  
p. 29. l. 17. - eum, cum.  
p. - l. 32. - rogor, cogor.  
p. 32. l. 24. - V. R.  
p. 35. l. 18. - Fautioris, Fautoris.  
p. - l. 22. - perq. per 9.  
p. 36. l. 4. - aperte, apertae.  
p. 41. l. 17. - praetiosius, pretiosus.  
p. 56. l. 29. - ordinibus, ordinibut.  
p. 61. l. 2. - istum, istam.  
p. 67. l. 10. - confessiones, confessores.  
p. - l. 11. - legandi, legendi.  
p. 70. l. 26. - probassae, probasset.  
p. 74. l. 32. - aderatat, aderat.  
p. 85. l. 23. - aroara, azoara.  
p. 93. l. 9. - liberavit, liberauerit.  
p. 95. l. 31. - conuigit, contigit.  
p. 96. l. 2. - Ecclefia, Ecclesia.  
p. uero 30. l. ult. post uocem disputationis, inferet uo-  
cem, fructus.  
p. - 73. post l. 15. inferet, Defensio Lutheri.

Monachorum et Ecclesiasticorum Cantorum  
M. 1109. fol. 14b

Amen deus omnipotens corde meum dñe  
benignus misericordia - 100 J. A. G.  
in misericordia - 100 J. A. G.  
et misericordia - 100 J. A. G.  
benignus misericordia - 100 J. A. G.

Mare  
acia  
cio  
cos  
tropo  
rocu  
dift.

Mag IC 209


X 235 M 68

KD 18

Z



### Farbkarte #13



B.I.G.

DEFENSIO  
VITAE MISSIONIS MIRACULORVM ET EVANGELIORVM  
B. D. MARTINI  
LVTHERI  
CONTRA  
FALSO HIS IMPVTATAS CALVMNIAS  
GVIL. FRIDERICO DAMIANI  
SACERDOTE PETRINO

---

SVSCEPTA ET ABSOLVTA  
IN  
SOLIVS DEI TRINVNIVS  
HONOREM  
ADFLICTAE ECCLESIAE HVNGARICAE COMMODVM  
BONORVM QVORVMVIS SOLATIVM  
VERITATIS QVODAM  
AMANTE

---

A. R. S. M DCC LV